

**Dissertatio medica inauguralis de medicamentorum modo operandi in corpore vivo ... / submittet Joh. Augustus Lysthenius.**

**Contributors**

Lysthenius, Johann August, active 1720.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1720]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n22cze5m>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



**MEDICAMEN-  
TORUM MODO OPE-  
RANDI IN CORPORE  
VIVO,**

**SPECIMEN TERTIUM,**

*QUAM*

**PROPITIO NUMINE DIVINO**

**ET**

*GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*  
**PRÆSIDE**

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

**POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIAR. AULICO, MEDI-  
CINÆ ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACA-  
DEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,**

*FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,*

**PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO  
CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,**

***PRO GRADU DOCTORIS,***

**Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis  
rite ac decenter obtinendis,**

*Horis ante- & pomeridianis. d. X. August. MDCCXX.*

*Publicæ ventilationi submittet*

**JOH. AUGUSTUS LYSTHENIUS,**


**HALENSIS MAGDEB. Med. Pract.**

---

*HALAE MAGDEBURGICAE,*

**Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.**







ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
VIRO AC DOMINO  
DN. MARQVARD  
LVDOVICO  
LIB. BAR. DE PRINTZE  
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS  
BORVSSIÆ SVPPREMO AVLÆ MARE-  
SCHALLO,  
MINISTRO STATVS ET CONSILIARIO INTIMO  
AQVILÆ NIGRÆ EQVITI AVRATO,  
SVPPREMO PALATII PRÆFECTO,  
RERVVM FEVDALIVM AC ECCLESIASTICARVM  
RECTORI, SACRI CONSISTORII PRÆSIDI,  
ACADEMIARVM REGIARVM CVRATORI SVMMI  
REGIÆQVE SCIENTIARVM SOCIETATIS DIRECTORI  
COMITATVS RVPINENSIS AGRIQVE BELLINENSIS  
JERICHVNTINI, SANDOVIENSIS ET ALIORVM PRÆ-  
FECTO SVPPREMO,  
ECCLESIAE CATHEDRALIS MAGDEBURGENSIS CANTO-  
NICO,  
CAROVIÆ, SEEDORFFII, NILEBUCCI, REDERSDORFII  
ALIARVMQVE TERRARVM DYNASTÆ,  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO AC PATRONO  
MAXIME REVERENDO.



MAXIME REVERENDO.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO AC PAT

ALI ALARMOVE FUGARVM DI NASTA

CAROLIV. SEDORITIV NILEBUCCI, REDERI

NON CO.

ECCLESIE CATHEDRALIS MAGDEBURGENS

PECTO SVPERMO.

RECHVNTIV. SANDOVENSIS ET ALIOV

COMITATVS RVENENSIS AGRIQVE BELLI

REGIOVE SCENTARVM SOCIETATIS DIRE

ACADEMIARVM REGIARVM CVRATOR SV

RECTOR SVCH CONSISTORII PRESIDI

REVM TEVDALIV AC ECCLESIASTICAR

SVPERMO PALAM REACTO.

AVQVE NIGRE EGVITAVIT.

MINISTRO STATVS ET CONSILIARIO IN

SCHALLO.

BORVSSIE SVPERMO AVLE MA

SACRE REGIE MAIEST.

LIB BAR DE PRINTZ

LVDOVICO

DI. MARQVAR

VIR O AC DOMINO

REVS SVCH AVQVE EGVITAVIT



ILLVSTRISSIME ATQVE EX-  
CELLENTISSIME DOMINE.

DOMINE GRATIOSISSIME.



Ergrata

tandem eaque iucun-  
dissima accessit occa-  
sio, qua sincerum gra-

tiarum actionum monumentum EX-  
CELLENTIAE TVAE publi-  
ce constituere licet, pro insigni fauo-  
re ac gratia qua EXCELLENTIA  
TVA me fouere ac sustentare gene-  
rosis-



rosissime dignata est. Quamobrem  
non potui quin TIBI DOMINE IL-  
LVSTRISIME & EXCELLEN-  
TISSIME hoc meum specimen Aca-  
demicum tractans *De Medicamento-  
rum Modo operandi in corpore Vivo*,  
dicarem & consecrarem, in ea certis-  
simus persuasione, quod nihil huic la-  
bori possit euenire felicius, quam si  
illius habuerit patrocinium, qui bo-  
narum Musarum Fautor & Prote-  
ctor salutatur. Felicia sane sunt stu-  
dia, si ipsis præsunt Viri qui summis  
dignitatibus maximisque honoribus  
splendentes singulari eadem feruore  
& particulari amore prosequuntur,  
ita vt tunc de felici successu & salu-  
tari ingenuarum literarum incre-  
mento nemo sit qui possit dubitare.  
Quid igitur egregius, quid potuit ac-  
cidere optatius, quam sapientissimum  
illud conclusum **POTENTIS-  
SIMO**



**SIMO & SAPIENTISSIMO**  
**FRIDERICO BORVSSIÆ**  
**REGE** ceptum , quo **EXCEL-**  
**LENTIÆ TVÆ** inter summas di-  
gnitates curam etiam Regiarum Aca-  
demiarum crediderit, vt merito quis-  
que possit exclamare , hanc functio-  
nem pervenisse ad Dignissimum, quia  
**SAPIENTISSIMI HUIUS REGIS**  
facta prudentiam semper & consili-  
um respexerunt. Saluberrimus rerum  
successus & eventus felicem hanc  
fuisse electionem comprobavit, adeo  
vt ingenuæ ac genuinæ artes & sci-  
entiæ in **EXCELLENTIA TVA**  
alterum Mæcenam , qui Imperato-  
ris Augusti temporibus literas pro-  
tegebat, recuperauerint, vt in **TE**  
**CVRATOREM SVMMVM &**  
**PROTECTOREM** simul **AMI-**  
**CISSIMVM & BENIGNISSI-**  
**MVM** possideant. Experientiam



huius rei omnes attestari poterunt,  
siquidem inter alios etiam mihi con-  
tigit vt ad gratiam TVAM admissus,  
agnouerim summam pro patriæ sa-  
lute vigilantiam, maximosque inde  
prouenientes labores non abhorrere  
literas, sed ita felici eoque iucun-  
dissimo inter se cohærere nexu vt  
neutrum exinde damnum patiatur.  
Quam ob causam DOMINE IL-  
LUSTRISSIME ET EXCELLEN-  
TISSIME hanc meam Dissertatio-  
nem Inauguralem EXCELLEN-  
TIÆ TVÆ ea qua debeo reueren-  
tia dedicare TVOQVE GENE-  
ROSISSIMO PATROCII-  
NIO submittere ausus sum, a quo  
facto primo meame remouebat ve-  
recundia, summa autem & singu-  
laris EXCELLENTIÆ TVÆ  
humanitas & beneuolentia inuitabat,  
ita vt hac firmiter nifus non cuncta-



ri voluerim eamdem ILLVSTRIS-  
SIMO EXCELLENTIÆ TVÆ  
NOMINE condecorare. Quare TE  
DOMINE ILLVSTRIS- & EX-  
CELLENTISSIME ea qua par est sub-  
missione humillime rogo, vt hunc quo-  
que laborem EXCELLENTIÆ TVÆ  
dicatum & dedicatum gratiosissime ac-  
cipere digneris, nihil mihi erit gratius at-  
que iucundius nihilque acceptius, quam  
si hoc tenue humilitatis meæ testimoni-  
um EXCELLENTIÆ TVÆ poterit  
GRATIAM atque PATROCINIVM  
reportare. DEVS TER OPTIMVS  
MAXIMVS EXCELLENTIAM  
TVAM cum ILLVSTRI FAMILIA  
tegat, protegat in omnique incolumita-  
te ad Longæuos vsque Annos conser-  
uet, quo Respublica per longum adhuc  
temporis spatium per EXCELLEN-  
TIÆ TVÆ saluberrima consilia vi-  
geat & Academia Fridericiana TE  
CV.



CVRATORE magis magisque  
floreat, bonisque literis & scientiis non  
desit SVMMVS FAVOR & PRO-  
TECTOR, nec ego GRATIOSISSI-  
MO PATRONO destituar. Maxi-  
mo semper studio summaque diligentia  
EXCELLENTIÆ TVÆ beneficio-  
rum memoriam recolam, eoque labora-  
bo quo sim omni obseruantia ac reue-  
rentia.

DOMINE ILLVSTRISSE ET EX-  
CELLENTISSE DOMINE  
GRATIOSISSE,

ILLVSTRISSE ET EXCELLEN-  
TISSE ETIAM NOMINISTVI.

Dab. Halæ Magdeb. d. IX. August.  
Anno M. DCC XX.

*Cultor obseruantissimus & humilli-  
mus*

JOH. AUGUST. LYSTHENIUS.





## PROOEMIUM.



Ntiquum est dictum, quod apud *Themistium Orat. 3. de Amicitia* legitur: Διὸς θυγάτηρ ἀλήθεια; de quo asserto *Plutarchus de adulat. & Amic.* simile effatum profert: *Veritas est, ut ait Plato, divina omniumque bonorum & diis & hominibus principium*: quod assertum vix ulli dubium esse potest, nedum quidem debet, cum per veritatem ad ipsam divinam sapientiam adspiremus: & sane notatu dignum est, quod ipse Benedictus Salvator se veritatem & non modo verum, sed ipsam veritatem nuncupet, ut eo ipso homo in omni actione & cognitione veritati studere debeat: hinc *Lactantius Lib. 1. cap. ult.* dixit: *primus sapientiæ gradus est falsa intelligere: secundus vera cognoscere*: tanto magis vero veritatem sectari convenit, quo magis falsa & erronea circumvolant; unde etiam prudentiæ opus est, ut dum errores cum veritatis ornatu passim circumdati & turgidi videantur, illi ab hac exactè discernantur, ne confusio hæc futuris ulterioribus damnis ansam præbeat:



neque tantum satisfacit veritatem agnoscere, sed & in illa confirmari convenit: *Bonum enim est, juxta apostolum ad Ebr. 13. v. 9. ut confirmemus corda nostra*: hæc enim confirmatio est veritatis nutrimentum & utilitates ex eadem veritate expectandas promovet atque auget: negandum tamen minime est, quod hæc veritas sub variis spinosis & salebrosis semitis progrediatur, ut multis ingeniis id eveniat, quod *Cicero Lib. 1. de Nat. Deorum cap. 32. exclamavit: utinam tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere*: haud tamen ea propter quempiam deterrere debet hæc facies rerum, qua interdum ita abstrusa videtur veritas, quin potius omni cura studioque quisquam anniti debet, quo non modo aditum ad veritatem præparet, sed unam alteramve veritatem detegat & illius utilitatem commonstret: prima vero veritas ita constituta esse debet, ne ullum quidem dubium contra eandem moveri possit, adeoque in eadem absoluta certitudo adesse debeat: id ipsum etiam est, cur in scientia rerum vera acquirenda & in experientia stabilienda præ omnibus aliis quidem ipsum Factum, sive, τὸ ὄν, rite & exquisitè constare debet, ne videlicet animus è possibilibus concludat ad realia; siquidem priora è speculatione, posteriora ex observatione ut plurimum emergunt: quare sane illa notitia, quæ circa factum hujusque certitudinem versatur, in toto veritatis studio fundamentalis & cardinalis est: & quid quæso magis scientias & artes offendit, impedit & turbavit, quam præmaturæ & curiosæ speculationes ad διότι directæ, neglectâ certitudine facti. Omnino vanus & otiosus labor est, fugitivo & credulo quodam animo factum quoddam supponere & ut certum fingere,



re, dehinc vero in operosam & speciosam, imo diffusam speculationem animum immergere, adeoque circa τὸ διότι luxuriari, circa ὅτι vero sterilefcere: ast quoniam in indagatione Facti, phænomenorum, effectuum simplicissima maximeque ingenua veritas hæret, ita omnino *Clementis Alexandrini Lib. 3. Pædag. cap. 11.* effatum constanter memori mente teneri debet: *simplex veritatis color diligendus*: hæc cura, hæc industria, hoc studium nostrum esse debet, quo antea indubias & ingenuas veritates in Historia facti nobis comparemus: nisi enim Factum certum fuerit, reliqua causarum indagatio valde anceps & confusa est. Quod hætenus in genere dictum fuit, illud merito seorsim ad Medicinam applicari debet & potest, in qua longe nobilior & utilior est consideratio illius, quod actu fit, quam hujus, quod forte fieri potest, aut quod secundum certas præmissas & suppositiones fieri & contingere posset: dolendum merito est; quod in hoc posteriori conatu animus humanus adeo operosus & officiosus esse deprehendatur, dum ex certis principiis & assertis mox phænomena quædam effingit, quæ magis entia rationis & phantasiæ, quam realia existunt: & ne in longum campum demonstrationum transiliamus, vel unicum hoc exemplar testimonii instar inservire potest, quando ex suppositis quibusdam remediorum principiis, indubiæ quædam qualitates & virtutes colliguntur & supponuntur, dum adhuc eximium dubium viget, an etiam talia principia remedio insint, an vero mixta, an simplicia, an ut mixta, an vero ut simplicia tales qualitates possideant, an tantum talibus qualitatibus prædita sint, ut ex ejusmodi principiis



non ad alias virtutes concludere liceat &c. nobis utilior & pretiosior ille labor esse videtur, quando remediorum vires antea ex suis effectibus explorantur & qualis sit talis effectus in subjectis robustioribus & in affectibus contumacioribus: exinde longe certius concludere licebit ad effectus eorundem remediorum in subjectis sensibilibus & debilioribus, nec non in affectibus mobilioribus, periculosisioribus & qui in acutam indolem propendent: quicumque vero in tali studio feliciores & certiores gressus facere sperat atque contendit, ille ab idololatria auctoritatis liber esse debet, ne vel antiquitatis, vel alterius splendoris vinculo captus, cæca quadam fide in tali disquisitione assensum suum præbeat, quin rectius cum *Platone de Republ. X. Veritati virum non præponendum censeat* & potius ad certitudinem Facti contendat: neque etiam adeo necessarium est, tam anxie semper τὸ διότι sive modum fiendi indagare velle, quod interdum proximiorum utilitatem adjuvat: ita enim vel nihil, vel parum artis medicæ emolumentum promovebit nuda inquisitio & notitia, an medicamentum quoddam per sal, an per sulphur operetur, an sal sit fixum an volatile &c. nam communis aut subtilis illa theoria chymica valde abstrusa & incerta est, adeoque nullis certis applicationibus adhibenda: dantur enim remedia sulphurea & salina diversorum effectuum: quid quod cum status mixtionis & subjectorum mixtorum, nec non ratio qualitatuum, è mixtione corporum provenientium, in hodierna physica perquam incognita res sit, propterea consultius erit, certitudinem aliquam de effectum talium remediorum acquirere: damus hujus considerationis exemplar: cinnabaris constat ex mercurio  
&



& sulphure: hoc interne resolvit, motus auget & impellit; ille etiam humores colliquat & vias aperit: quis jam è mixtione sulphuris cum mercurio hariolari poterit, quod cinnabaris sedativam vim habeat? nonne consultius fuerit, de effectu certitudinem nosse, quam in illud abstrusum *διότι* inquirere: quare antea diximus, quod interdum plus profit, modum fiendi non nosse, quia illius indagatio vel animum à dignioribus negotiis detinet, vel tantum in nudas speculationes præcipitat, ut denique illud Christi effatum huc applicari queat *Luc. 17. v. 10. ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῶν, λέγετε ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν.* *Servi sumus inutiles:* contra vero eveniet, ut qui seposito hoc studio speculandi sincero animo ad simplicem veritatem collimant, de divino auxilio gaudere possint, ut hic valeat, quod *Seneca Declam. 322.* professus est: *gratias ago providentiæ divinæ, quæ nunquam ita opprimi vult veritatem, ut non magnis suis vestigiis emineat:* At ne diutius in hoc præloquio maneamus, mox sermonem instituemus de **MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI IN CORPORE VIVO**, de qua consideratione *Tertium* nunc *Specimen* producimus: non negamus, quod in hac disquisitione multæ incertitudines passim alibi occurrant, quæ præmatura speculatione nituntur, neque rarum quid est, quomodo interdum in levioribus disquisitionibus animus sæpe præter necessitatem occupatus sit, quo valet illud quod *Celsus Lib. 5. c. 26.* dixit: *Histrionis est parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur.* Nobis potius utilius videtur illud opus, quod circa certitudinem & veritatem effectus occupatum est: sed ne nobis ipsis obloquamur, vix præsentem indagatio-

nem



nem & tractationem penitus sterilem & inutilem esse judicamus, modo eadem veritate facti nitatur, neque obscuris illis subtilitatibus philosophicis, quæ plus in imaginatione & suppositione, quam solida demonstratione habet, inhæreat: & cum impræsentiarum nobis incumbat publica Inaugurali Dissertatione medicam aliquam considerationem ventilare, ita placuit eandem tractationem consuetamethodo commendare, ut videlicet steriles & inutiles evagationes sedulo evitemus, sed potius utiles & attentas applicationes ad Praxin medicam continuemus & serveamus: placet vero in illis animadversionibus progredi, quæ ad contextum hujus doctrinæ spectare nobis videntur: Deum veneramur, quo huic etiam specimini eadem gratia adsit atque annuat, qua prioribus adstitit, quo omnia in veritatis medicæ emolumentum cedant.

## §. I.



**D**E *Medicamentorum operandi modo* uno alterove Specimine actum fuit, sed cum hæc tractatio nondum peracta sit, ea propter semel ceptum negotium in tantum hoc loco continuare placet, in quantum limites conscribendæ Dissertationis concedunt: hætenus enim *Evacuantium* remediorum *modus operandi* explicatus fuit, unde nunc ALTERANTIUM medicamentorum *energia & operandi ratio* inquirenda & explicanda erit: dicuntur vero illa *alterantia*, quæ vel *humores* vel *motus* ad subsequenter salutarem *excretionem* præparant, vel quæ *exorbitantes motus* iterum in *ordinem* justum ducere adjuvant: Cum itaque horum remediorum *diversæ* classes atque species occurrant, ita etiam lubet illas breviter percurrere, ne vero ita præcociter in ipsam *specialem* tractationem



nem irruamus, præmittemus quædam præcognita ad præfens negotium pertinentia, videlicet quod *Alterantia* remedia minime tam *evidenti* effectu suum *operandi modum* obfignent ac *Evacuantia*, unde illorum *energia* semper in schola medica exploratu scituque *difficilis* fuit; ex quo fuit, quod circa illorum indagacionem ubique *major* attentio & circumspectio adhibenda sit: deinde etiam sciendum, quomodo *Alterantibus* *passim miræ* virtutes adscribantur, quæ tamen in *ipso usu & effectu* haud *expertæ & probatæ* sunt: id quod eo magis *præservare* potest animum, ne de *non entibus* prædicata *certa* declamemus, aut *suppositarum* virtutum rationes atque causas *extorqueamus* & recenseamus: v. g. si quis velit *Alterantibus* adscribere virtutem *meliorandi* & corrigendi materias *peccantes*, quo hæ *sine damno* & vitalitatis præjudicio *retineri* queant, quidni frustraneum fuerit in talem modum operandi speculari, cum efficacia illa *invertendi* materias *tali*, quali prædicavimus modo, magis *imaginaria* & hypothetica, quam certa & vera existat: tanto major etiam circumspectio tenenda est, quo magis *Alterantia* in *materias* operari deprehenduntur, ne nimis *subtiliter* de materiis *speculemur*, neve in *explicatione* & illustratione *modi operandi*, *obscuritatem* majorem huic considerationi obducimus; neque etiam aliquid *utilitatis* promittit ille labor, si nimis subtiliter quisquam de hoc remedium operandi modo *philosophari* vellet, quippe quæ operosa meditatio plane nihil utilitatis medicinæ afferre poterit: ob id in *Alterantium* explicatione eo facilius animus ad *subtiles* speculationes *seduci* potest, quoniam *effectus* illorum magis *interni* & minus *manifesti* sunt, sicut contra *Evacuationes* magis in *sensus* incidunt: jam vero constat, quomodo *opiniones* in nulla re magis *luxuriari* soleant, quam ubi *crassi sensus* non statim penetrant, ibi enim *phantasia* latissimum campum reperit, *fingendi* & *supponendi*, quod



*sensuum defectum supplere videtur: eo magis vero pro utilitate medica militabit si Alterantium effectus in materias recte annotantur & ad futuras justas applicationes ritè adhibentur; ne videlicet ex supposito quodam operandi modo, longe alii effectus excogitentur & deinde cum detrimento & vituperio artis urgeantur: interea neque de Alterantibus negandum, (quod de Evacuantibus alibi latius explicatum fuit) quod physicam etiam efficaciam in corpus humanum habeant, modo hæc non ita indiscretim pro effectum medicamentofo i.e. salutaris declaretur & declametur, unde in hac universa tractatione de medicamentorum modo operandi hanc differentiam inculcamus, quæ inter effectum remedii physicum & connexum effectum medicamentofo sive medicum occurrit: applicatio enim effectus physici ad substratas afflictiones, producit effectum medicum, hæc vero applicatio non in remedio, sed in natura per & propter remedium operante, hæret; unde neque remedium, rite adhibitum, penitus otiosum est, neque natura tantum spectatorem agit: quippe quæ notitia ad multas confusiones evitandas inservit, unde in hoc præsentis disquisitionis limine repeti & inculcari debuit, ne autem memmus quod salutare remedium operationes nudè physicis respectibus debeantur; cum perpetua differentia sit inter corpus vivum & mixtum, aliusque effectus & usus remedii in corpore nude mixto, alius vero in vivo existat; quapropter medicamentorum modum operandi in corpore vivo inquirimus & explicamus.*

## §. II.

Priusquam ad Alterantium remedium modum operandi explicandum propius accedamus, placet brevibus adhuc aliquot requisita indicare, quæ ad hoc negotium recte pertractandum & intelligendum spectant: quod vero ipsa Alterantia remedia attinet, tunc eadem partim in fluidas partim in solidas partes operantur; cum prioribus sese com-  
mi.



*miscent*, posteriores *contactu* suo, nunc magis nunc minus *sensibili*, afficiunt: *fluidas* partes nunc *per se* aggrediuntur, nunc cum hisce *interagitantur* & sub hac *commotione* iisdem *alterationem* quandam inferunt: subinde etiam in *Alterantibus* remediis occurrunt quædam *principia*, quæ ad *diversos* & selectos *humores* peculiarem *relationem* habent, prout id ex simplici *effectu* judicare licet: an vero hæc *relatio* nitatur diversitate *salium* & *reactionis*, adhuc sub iudice lis, neque quoad omnia subjecta & requisita sufficienter comprobatum est: quare *consultius* esse judicamus in re *abstrusa* & ancipiti potius rationem & *judicium suspendere*, quam *opinionem* multis *dubiis* vexatam obtrudere: quædam *Alterantia* operantur in partes *solidas*, quibus non æque *talem materialem* qualitatem ita conciliant, uti cum *humoribus* contingit, quos *resolvunt*, *attenuant*, *involvunt*, *incrassant* &c: sed easdem ad *aliu* motus *gradum* disponunt, unde operantur in *motum tonicum*, qualis partibus *structis* & textis familiaris esse deprehenditur: sed dum alterans quoddam remedium ita *immediate* tonicum motum immutare haud potest, propterea requiritur *sensus* in talibus partibus mediante quo *oblato* remedium *percipitur*, illiusque *effectus physicus* in tales partes *observatur* & secundum talem apprehensionem & perceptionem motus vel *augetur*, vel *minuitur*: inde etiam evenit, ut remedium oblatum *Alterationis* effectum causetur, licet ad *illum locum*, in quo alteratio nunc succedit, haud *pertingat*: hic *sensus* vero qui ad plurimorum remedium modum operandi *medicamentosum* concurrat, neque à *remedio* ipso fluit, neque *corpori* est proprius, sed *naturæ* competit, ut ita secundum prædictam nostram assertionem, in *effectu Alterationis* recte producendo & dirigendo, multis modis *exquisite activa* deprehendatur *natura*: dantur vero etiam *Alterantia*, quæ præcipue præter sensum, *ingenere* ita accipiendum, etiam cum *estima-*



*tionegrati & ingrati* exactè connexa sunt, sicut in *roborantium, nervinorum, cardiacorum, analepticorum* theoria hæc notitia magis innotescet: sed dantur etiam quædam *Alterantia* quæ simplici suo *physico* effectû operantur, dum *humores* vel *diluunt* vel *inspissant*, *partes* vero vel *emolliunt* vel *exsiccant*; imo dum *salsedines & acrimonias obtundunt*, *temperant*, *extenuant*, aut *hebetant*: &c. interim ut antea monuimus *salutaris* hujus *Alterationis applicatio* in usum *vitæ & sanitatis* directâ, ipsi *naturæ* competit: unde sciendum, quod ut plurimum ad *Alterationem* inducendam *motus naturæ vitales* requirantur, quibus *mediantibus* oblata remedia tam *ad partes*, quam *intra humores* transferri debent, imo quibuscum ipsa *remedia* cum *fluidis* partibus *subigi & commisceri* possunt: imo dantur *Alterantia*, quæ in *discretas* tantum partes operantur, neque alias *adeo* afficiunt & irritant; ut in hac circumstantia omnino diversitas, *sensibilitatis* in diversis *partibus* accusanda sit; & credimus quod in hoc passu *trivialis materia medica* aliquo *nævo & defectu* laboret, dum modo constant remedia quæ plus operantur in *ventriculum*, alia in *intestinum duodenum*, alia in *intestina crassa*, quædam in *plexum mesenterii & Venæ Portæ*, aliqua in *Pulmones*, alia in *renes*: unde judicamus quod *alia* adhuc remedia in rerum natura prostant & constant, quæ in *alias* etiam partes *specialiorem* suam efficaciam exferere possint, modo illa exactè constant: & hoc fundamento niti credimus *praxin* per *simplicia*, ubi interdum homines valde *simplices & indocti*, cum contumeliosa quasi *herbula & radicu-la*, ut ajunt, citra ullam *maleficii* suspicionem tam stupendos & mirificos effectus proferunt, quos aliquando Doctissimi *Experientissimique* homines proferre haud possunt: an vero *communia* illa *Cephalica, Cardiacâ, Hepatica, Splenetica, Uterina* indiscretim hujus indolis sint, de eo merito habemus quod dubitemus: de qua consideratione pluribus



bus actum fuit in *Dissertatione D. D. Præsidis de Dubiis vexatis materiae medicae.*

§. III.

Illud etiam hoc ordine *in genere* adhuc notari debet, quomodo in corpore *vivo* Alterantium modus operandi *eo ordine* procedat, ut *vita & sanitas* exinde necessarium suum *fructum* acquirat: alias talia remedia potius in *præjudicium* vitæ æque facile operari *possent*, ac in illius emolumentum: ex quo denuo inculcamus, quod Alterantium remediorum *salutaris* effectus primario ut plurimum neque in *remedii* neque *medici potestate* consistat, sed *naturæ* directorio subjectus sit, quæ propterea etiam aliquando Alterantium effectum *physicum erroneo* plane modo cum *periculoso* successu & eventu applicare solet: neque etiam necesse semper est, quo talia remedia *crasso* quodam *sapido* sive *salino* sive *sulphureo* principio operentur, quoniam *insipida*, aut simpliciora terrea, aut mucilaginosa, aut *parum sapida* etiam eximias *Alterationes* causari solent, uti terræ bolares, sigillatæ, ustæ &c. eximie adstringere & incrassare possunt: neque tamen ea propter refellimus, quasi Alterantia *nullo* salino aut sulphureo principio operentur, siquidem *hæc* principia *multum* omnino valent ad *motus* humorum & partium solidarum alterandos, provocandos & supprimendos: talia principia vero *diversæ tenuitatis* & efficaciam sunt, dum v. g. aliud *sulphur* est magis *oleaginosum* & *vaporosum*, quod vocant *dampfficht, fetticht*, quale in castoreo, opio, mofcho &c. existit, aliud est magis *terreo-salinæ* indolis, aliud est *subtile volatile*, aliud *fixius* & *crassius*, aliud *resinosum* & *balsamicum*, aliud magis *terreum* & *macrum* esse deprehenditur, quoddam non solum cum sulphure, sed cum salino principio conjuncto simul operatur; id quod etiam circa salina principia notare convenit: haud tamen consultum & utile erit, in *modo operandi* remediorum exponendo, *ni-*



*mis diu ejusmodi meditationibus infudare velle, qualis dis-*  
*quisitio magis physica, quam medica esset & magis ad corpus*  
*mixtum, quam ad corpus vivum applicari posset, unde de*  
*eadem tantæ utilitates in medicina vix promitti possent;*  
*quare in tali indagatione brevitati potius studendum esse*  
*judicamus & in demonstrationibus subministrandis perspicui-*  
*tati inhærendum esse censemus: neque etiam adeo penitus*  
*desolata est Theoria Physico-Medica, quin evidentes & solidas*  
*rationes atque demonstrationes de diversis Alterationibus*  
*suppeditare queat, ut non necesse sit ad obscuras & occultas,*  
*aut plane effictas qualitates mumiales, astrales, magneticas,*  
*archeales &c. provocare; uti vicissim temerarium cona-*  
*men esset, explicationes rationales & ab omni suppositione &*  
*assimilatione alienas, quæ proximè ad hominem applicari*  
*possunt, neque per allegorias & metaphoras cum functioni-*  
*bus humanis comparantur, obscuris explicationibus annu-*  
*merare velle, sed in eo symbolum sapientiæ, suum cuique,*  
*tueri & exercere: interim etiam neque talia Alterantia ex-*  
*cogitanda sunt, quorum modi operandi æque imaginarii sunt,*  
*ac ipsa remedia; hujus indolis & characteris sunt, remedia*  
*quæ acidum hypochondriacum destruunt, quæ fermentum pe-*  
*regrinum extinguunt, quæ spiritus reficiunt, illustrent aut*  
*augent, quæ calculum frangunt, quæ pulmones consumptos re-*  
*generant &c. quemadmodum enim nulla talia remedia*  
*dantur, ita illorum modus operandi describi non potest:*  
*hinc in præcedentibus non sine justa & prægnanti causa mo-*  
*nuimus, quo antea artifices de remediorum effectibus certi*  
*esse debeant, antequam de illorum modo operandi differere &*  
*speculari inchoent; aliàs labor ille æque sterilis esset, ac*  
*speculatio de montibus metalliferis in Planetis, de homini-*  
*bus & animalibus brutis Pythagoricis in luna, de qualitate*  
*aquæ & vini, in venere obviorum subjectorum: & tales er-*  
*rores merito in Alterantium tractatione indicandi & pro-*  
vide



vide evitandi sunt, ne frustraneum & inutile opus tractemus: neque etiam huic tractationi aliquam *lucem* affundet, si juxta *veteres*, *certos* effectuum *gradus* supponamus: & licet *plus* aut *minus* speciem non variet, tamen *effectum* quidem mutat, unde suffecerit in eo acquiescere, an aliquod *alterans* vel *magis* vel *minus* suo *characteri* satisfaciat: otiosa etiam illa erit speculatio, quando huic Theoriæ de modo operandi remediorum, *phantasiam* illam de *signatura plantarum* immiscemus, aut quando certos *astrorum influxus* supponimus, & distinctis planetis *certos gradus* & in hisce gradibus *certas vires* attribuimus & hanc theoriam ad præsentem animadversionem applicamus, quæ *Paracelsistica*, *Crolliana* & inter recentiores *Carrichteriana* & *Cardiluciana* sententia neque ratione neque experientia ingenua probata est.

#### §. IV.

Missâ hac *preparatione* & *introductione generali* ad subsequentem specialio rem tractationem progredimur & sigillatim *diversas Alterationum* species percurremus; quoniam vero plurima *Alterantia* partim *humores*, partim *motus* simul afficiunt, ita non peculiarem ordinem servare possumus, ob id *principales* Alterationes in illa serie, quæ nobis placuit explicabimus: ad *Alterantia magni nominis* & *frequentioris* usus vulgo referuntur ADSTRINGENTIA, quæ cum *humoribus* & *motibus* commercium habent; proprie quidem talia remedia vel *incongruas apertiones* & *evacuationes occludere* vel *laxioribus* partibus auctiorem *strictorium* motum conciliare debent: *genuinus* & *simplex* Adstringentium effectus consistit, in partium *flexilium* efficaci *constrictione*; adeoque *partes* huic effectui subjectæ ita comparatæ sunt, ut mediante *motu tonico* nunc *relaxari*, alibi vero *constringi* queant; & quoniam hic motus *tonicus vitalis* est, ita non *aliunde* dependet, quam à *natura*, quæ eapropter  
vel



vel *sponte* partes tales *flexiles*, nunc remittit & *relaxat*, alibi vero comprimit, coarctat & *constringit*, quid quod interdum tam *contumaces* adstrictorias *occlusiones* committit, ut vix Adstringens remedium *comparem* effectum edere posset, testimonio *oppressarum* Hæmorrhagiarum ob prægressum *terrorem*: quid quod ipsa passim tam *rigidè* partes fibrosas *constringit* in paroxysmis *febrilibus frigoris*, in *spasms* & *convulsionibus*, nec non in *contracturis* ut medicamentum quoddam vix facile occurrat, quod tam *repentinos* & *vehementes* effectus causari possit: neque etiam in *corporis* capacitatem est, quo *se ipsum* hoc motu instruere & *dirigere* queat, licet in eodem hæc *materialis aptitudo* sit, quo *tali* motus specie & gradu affici & *dirigi possit*: ob id illi respectus *physici* minimè *confundendi* sunt; talem itaque *effectum*, qui *adstrictioni*, in corpore vivo occurrenti, *equalis* esset, *remedia efficere* aut *per se* in corpore animali excitare *non possunt*: hinc asserimus quod *motus* adstrictionis à *natura* humana pendeat, quæ in *vitali œconomia leniori* huius motus *gradu absolute* utitur eundemque in *sua potestate* habet: quando enim *eadem natura* in aliqua parte *hunc* motum *remittit*, tunc *copiosius intra* illam humores confluunt, quando vicissim hunc motum *auget*, tunc magis humores *refluunt* & *retrocedunt*: quidquod mediante *hoc tono* *natura evacuationes augere* iterumque *minuere* & reprimere potest: inde sequitur, ut in *repressionibus* & *suppressionibus* humorum atque *fluxuum*, nec non in *obfirmatione* & *condensatione partium* provocandis artifex cum *eiusmodi* adminiculis instructus esse debeat, quæ in *hunc tonicum* motum certo modo *operari* possunt: quo *fortius* enim hic tonus intenditur, eo certius *adstrictiones* & *retropulsiones* consequuntur, quo *lenius* vero huius toni augmentum est, eo magis partes *roborentur* & sufficienti firmitate atque densitate instruuntur, ne *laxiores*, & consequenter *debiliores* existant: & *hic modus*



*ad* Adstrictionem provocandi magis *naturalis* est, licet propterea *non indiscretim* applicari & exerceri debeat, dum cum *adstringente* effectu in *medicina* practica eximii sæpe *errores* committuntur: datur vero *alius modus* non tam adstrictionem, quam *fluxuum occlusionem* conciliandi, qualis magis *præternaturalis* existit: dum enim *humores inspissantur*, tunc per *vias* suas, sive sint *pori & cribra*, sive *vascula* commode *progredi* non possunt, inde contingunt *stagnationes, inspissationes, occlusiones, stases*: quæcunque itaque remedia *humores coagulant*, illa ad *fluxus compescendos* disponunt; & hic modus *chirurgis* per familiaris quam est, quando *fluxiones* humorum ex *ulceribus*, aut *vulneribus* provenientes compescere volunt; sed quia hic modus *naturali* ordini magis *repugnat*, in quo *natura* humana magis *passiva* est, propterea etiam *talis* adstrictio variis *difficultatibus* & *damnis* est obnoxia.

## §. V.

Effectus Adstringentium *medicamentosus* eo usque *nature directorio* subjacet, ut minime semper necesse sit, quo adstringentia remedia *ad illum locum* pertingant, in quo *adstrictio* fieri debet: quis enim adeo credulus fuerit, quasi in excessivo *mensium* fluxu, aut in *hæmoptysi*, aut *narium Hæmorrhagia*, oblata remedia ad *uterum*, intra *pulmones*, ad *nares* pertingant: interim cum in *hiscæ locis* extra ordinem *natura* cum *evacuatorio* actu occupata sit, ita evenit, ut eadem *effectum adstrictionis*, ad quem *per oblatum* adstringens remedium *concitata* fuit, ad ejusmodi locum transferat & applicet, in quo de *præsenti* magis *sensibilis & operosa*: cujus motuum *specialioris directionis* varia *parallela* phænomena, quæ in *moralibus* negotiis occurrunt, suppeditari possent, si tempus & occasio permitteret: id breviter indicamus, quomodo *anima* humana sæpius *accidentales* functiones, in *illa loca & tempora* transferat, in quibus cum aliis *fonticis* negotiis

C

*magis*



*magis occupata* esse deprehenditur : neque quidem in tali effectu provocatio ad *genus nervosum* rem exhaurit: quomodo enim *oblatum* adstringens remedium *illos nervos* afficiat, qui ad *uterum, pulmones* aut *nares* abeunt & cur *non alios*? in hoc negotio *peculiari & difficiliori* adhuc *directorio* opus esset : ita ut in tantis tenebris vagari necesse haud sit : proinde etiam eadem natura effectum *mitioris* adstrictionis & ita dictæ *tonicæ roborationis*, ad quem per *oblatum* remedium *generice* excitata fuit, in *illa loca* applicat, in quibus aliqua-  
lis *molesta atonia* sive debilitas adest ; quemadmodum in *moralibus* negotiis, homines *eo* oblata *auxilia* applicant, ubi afflictio *magis urget* & angit : enim vero *oblatum* remedium adstringens *mox* in *ventriculo* ad *adstrictionem* inducendam operatur, quod vero *non ventriculus* aut *intestina* adstringantur, ubi in hisce locis adstrictione *opus non est*, sed in *aliis locis*, *altiori directorio* competit : interim aliquando cum *damno* contingit, ut ad adstrictionem *semel commota natura*, non modo in *remotiores* regiones effectum *adstrictionis* transferat, sed & in *propioribus* simul eundem effectum exerceat, testimonio adstrictionis *mensium & Hæmorrhoidum*, cum aliis *obstructionibus hypochondriorum* contingentibus : imo *differunt* subinde *effectus & gradus* adstrictionum secundum *sensibilitatem* subjectorum, ut sane culpa non in *teneritate corporis* conjicienda sit, sed in vehementiam & incontinentiam *perceptionis* ; unde etiam evenit, ut homines *corpore robusti*, cæteroquin *admodum sensibiles* interdum existant ; propterea tamen ad effectum *adstrictionis* non semper *crassa* offensio aut *sensatio* requiritur, cum *intimior* etiam offensio *satis efficacem* & vigilantem sensationem oppositam reperiatur, ut non æque necesse sit, quo aliqui *dolores* aut *crassæ* perceptiones concurrant, quo *nobiliora* enim sunt interna viscera, eo *subtilior & alacrior* est interna sensatio : ob id remedia *adstringentia* non semper cum *crasso acido, austero,*



*stero, acerbo, styptico sale* operari debent, quoniam *subtiliora* principia perinde *eundem* adstrictionis effectum provocare queunt solentque: imo *quædam* remedia vicissim non *crasse sapida* esse deprehenduntur, sed *subtili* suo sapore admodum *extenuato*, *subtiliori* quidem modo adstrictionem causantur, qui effectus vero nihilominus *contumax* & fortis est; uti quorundam hominum *mores*, *lenes* quidem & *taciti*, sed admodum *potentes* & *tenaces* sunt, de quibus vulgo dicitur: *stille Wasser graben auch tieff*. Si itaque motus *adstrictionis* est de *prosapia* motus *tonici*, si hic *tonus*, ut fusiùs a libi demonstratum fuit, est *actus naturæ* & non corporis, si *natura motuum* exercitio & *directorio* in corpore humano præsidet, quis poterit effectum *adstrictionis* vel *remedio* nudo vel *corpori* adscribere? cum vero totum *corpus naturæ* dominio subiectum sit, quidni hæc effectum *adstrictionis* in *aptis* sui corporis partibus administrare poterit: quare *remedia* adstringentia sunt tantum *incitamentum naturæ*, sive *causa impellens*, quam *amplectitur natura* & *secundum illam* hanc speciem & *hunc gradum* *modus tonici* administrat: *objecta* enim *movent* sive afficiunt *sensus* & secundum illorum *objectorum rationem* & conditionem *motus* cum in *moralibus*, tum in *vitalibus* exercentur, prout huius phænomeni *innnumera* specimina in *moralibus* functionibus occurrant.

## §. VI.

Posteaquam in præcedentibus curatius explicavimus *activitatem* & *concursum naturæ* in *administrando* & *dirigendo* effectum *Adstrictionis*, brevibus adhuc præsentì consideratione inquiremus in *efficaciam remedium* *adstringentium*, aut *quid hæc medicamenta efficiant*, quo *adstrictio consequatur*; hæc enim animadversio ad *medicamentorum* indagationem & *relationis medicamenti erga naturam* explicationem pertinet; ne vero otiosis & obscuris, aut plane fallacibus speculationibus inhæreamus, succinctè significamus,



quod *adstringentia* remedia partim *salia* crassius & potentius aut subtilius *acida*, partim simul *terrea calcarea*, subtilia exsiccantia possideant principia: utraque vero principia habent qualitatem *humores coagulandi*, *inspissandi* & *incrassandi*: hæc *coagulatio* humorum *liberomotui* progressivo valde præjudicat, ut propterea *natura* interfit, quo humoribus suis *in saluum* ducendis operam det: id ipsum non certius aut efficacius fieri potest, nisi *partes illas* in quibus *adstringentia* remedia hærent, primario quidem *constringat*, & ex iisdem illos humores *reprimat*: quem adstrictionis motum *in illa loca* mox transfert, *in quibus* nunc *natura* vel per *alios* motuū gradus *operosa* est, vel motus necessarios amisit & intermisit, ut mediante hoc motu adstrictorio in iisdem locis vel *fluxus immodicos* retineat, vel *deficiens* robur iterum restituat; quod vero aliquando *adstringentium* usus *noxii* sint, *perversæ* horum remediorum ordinationi adscribendum est, per quam ipsa etiam *natura* ad *perversum* & inopportunum adstrictionis motum *seducitur*: & cum remedia *adstringentia* partium *obrigescentiam* sive *compressoriam* constrictionem inferant, ita *natura* hanc *stricturam* in locis *affectedis citius* administrat, *nullo* habito respectu, an æque in illis locis humores suspectis *coagulationibus* expositi sint: sufficit, quod hæc *prior* afflictio, quæ ad *adstrictoriam* hanc commotionem primam ansam suppeditavit, in *alio loco* contigerit; facile enim *natura* ad *insolitas* commotiones invitari & incitari potest & solet: proinde dantur *remedia adstringentia*, quæ diversarū partium discrepanti *sensibilitati* aliena sunt, unde ejusmodi partes *constringuntur*, quo *intimior* remediorum illorum *accessus* & ingressus a partibus illis *avertatur* & *præcludatur*: quare *adstringentia* quædam magis *membranaceas*, alia *tunicaceas*, nonnulla *musculosas* partes *citius* alterant: dantur itaque *adstringentia* medicamenta, quæ in ore detenta *narium hæmorrhagias* & *Hæ-*  
*mopty-*



*moptysin* compescunt, dum *adstrictionis effectus* in faucibus concitatus per tunicam *connexam* tam intra *infundibulum*, quam intra *pulmones* extensam, continuatur: qua *continuatione membranarum* multum nititur Theoria motuum à *Baglivio* in *tractatu de Fibra Motrice* proposita: & hac animadversione nititur etiam illa theoria, cur *quædam adstringentia* in hanc aut aliam partem *citius* operentur: ubi quidem minime negamus, quod remedia *adstringentia*, imprimis *copiosiori* quantitate, aut *repetita* vice adhibita etiam *immediate* ad illa loca perveniant, in quibus adstrictio deinde administratur, testimonio *traumaticorum* remediorum intra *pectus* operantium, aut *adstringentium* medicamentorum in *primas regiones*, vel in *intestinum rectum* ad compescendas *Hæmorrhoides* specificè operantium: proinde remedia *terrea*, quæ *calcaream* indolem assumunt, *adstringente* illa qualitate prædita sunt; è quorum numero *usta* præcipue existunt, quæ non alio, quam *incrassante* & *exsiccante* effectû operantur: hinc remedia talia *incrassantia parallelum* effectum edunt, qualis alias *adstringentibus* remediis adscribi solet, dum humores nimis fluidos in tantum *insspissant*, ne motibus *congestoriis*, se & *excretoriis* tam facile obtemperent, ut propterea *affluxus* & *effluxus* eo *citius* cessent, aut *mitescant*: & tale exemplum atque specimen in *chirurgicis adstrictionibus* occurrit, quando remedia *ab extra* apposita, vel *immediate* humores attingunt, eosdemque *coagulant*, ut per illa *pori occludantur*, vel quando *fibrillæ* cum ejusmodi remediis *molestius* afficiuntur, ut propterea eadem *contrahantur* & *retrahantur*, adeoque adstrictionis & condensationis effectus consequatur: illud enim in hac adstrictionis Theoria adhuc notandum est, quod propterea etiam in quibusdam *sensibilibus* locis adstrictionis effectus sequatur, quia remedia illas partes *adeo* offendunt & *molestè* afficiunt, quo *natura*



pro hoc *molesto sensu excutiendo & adherente* remedio *amovendo* afflictam partem constringat & contrahat ; id quod etiam evenit, si medicamenta *adstringentia* proximè & *immediate* tales partes contingunt, quæ *tonico* motu præditæ sunt: de reliquo dantur etiam *talia* remedia, quæ in *superficiem* corporis & ipsam quidem *cutem* applicata, adstringentem & *reprimentem* & *repellentem* effectum post se relinquunt, non alio operandi modo, nisi vel superficiei humorum *coagulationem* minentur, vel *subtili* ratione *superficiem* cutis *molestius* afficiant, quo cutis constringatur, quem utrumque effectum præcipue sulphur ab extra applicatum, causatur, dum per *acidam* suam substantiam & *humores* & *partes* afficit, quando subtiliter *poros* cutis ingreditur & caloris motu agitur: uti alias de *acido sulphuris* principio constat, quod valde *coagulet* humores : *principalius* enim sulphur cum acido suo salino principio operatur : *inflammabile* vicissim illius principium, quia *volatile* est, magis ad *commotionem* humorum disponit, sed si *extra mixtionem* existit, prompte *dissipatur* : cur denique *acida* humores coagulent, ex *relatione* huius salis erga substantiam *terreo-limoso-calcaream*, quæ *sanguini*, *lymphæ*, *chylo*, *mucilagini* inest, petere convenit, sicut ex observationibus *physico-chymicis* constat, quomodo *acida* salia cum ejusmodi *terris* convenientia, *densiorem* & firmiorem consistentiam producant : an vero *subtilior physica corpuscularis* solide & *rationabiliter* explicare possit, ob *quam causam* *acida* cum ejusmodi *terris* in *firmiorem* consistentiam abeunt, adhuc *expectandum* est & si etiam *indubie* & *perspicue* id demonstrari possit, quæstio adhuc movenda esset, an etiam hæc *subtilis* meditatio *ullam* veram & *realem utilitatem* afferat : nos potius ab hac meditatione impræsentiarum abstinemus, quia *ad scopi* & *propositi nostri illustrationem* non pertinet, sed *diffusionibus* & magis *speculativis* animadversionibus instituendis

inse-



inferviunt, quæ quia *medicam* applicationem *destituunt aut ab utili* applicatione ut plurimum animum *seducunt*, eapropter has subtilitates evitamus & in hac *Adstringentium Theoria* acquiescimus.

### §. VII.

Sicut Adstringentia remedia *evacuationes retinent, secretiones* coercent, *fluxum & refluxum* humorum cohibent, ita huic Adstrictionis effectui proxime opponuntur APERIENTIA remedia, quæ vias *occlusas* iterum *referare* debent, quorum hoc ordine mentionem facere, illorumque *modum operandi* explicare lubet: *proprie* vero *Apertio* opponitur *occlusioni*, quæ posterior *variis* modis contingere potest, vel quando *nimio impulsu* humorū viæ obstruuntur, vel quando *actu viæ* *constringuntur* vel quando *humores spissiores* occludunt vias, vel quando ob viarum & partiū *ariditatem* sive laxitatem humores *copiosius coacervantur* & in affectis locis *stagnationem* aut actuale *stasin* subeunt, ut tempestitiva refectione & apertione opus sit: Et secundum has animadversiones minime tam *crassus* conceptus formandus est, quasi Aperientia *ejus* efficaciam sint, quo *tantam vim*, tantum robur ac elaterem *corpori* concilient, ut nudo & *simplici impulsu*, id quod evacuari debet, exturbent & *expellant*, cujus conditionis Aperientia vix ulla hætenus cognita sunt, quemadmodum ne quidem *fortissimus pulsus* atque *tonus* Apertioni, & quidem *tali* inducendæ, qualis *ordini vitali* competit, satisfacit, ut rectius ex eodem *impetu* interdum *maiores infarctus* & *oppletiones* demonstrari & observari possint; quare hic *modus simplicissimus* naturæ in conservando *libero progressu* humorum & in continuandis *necessariis evacuationibus* annotandus, quod pro hisce negotiis requiratur *sufficiens* quidem *motuum gradus*, sed & iusta hujus *applicatio*; accedit debita *proportio qualitatis* humorum ad *motus* & motuum ad humores: hunc modum si *imitatur* artifex, *simplicissimam* &



& *securissimam* inveniet methodum, plurimum vero ad congruam *Apertionem* tum *viarum*, tum *fluxuum* & *evacuationum* salutarium contribuit *justus motus*, sine quo neque *viarum permeabilitas*, neque humorum *fluiditas* *Apertionis* negotium absolvet; per hunc motum enim *excretiones* absolvuntur & *progressus* humorum expediuntur, siquidem in *legitimo* œconomix *vitalis* statu functiones *salutares* & *necessariæ* non *passionibus*, sed *actionibus* nituntur: quid quod ille mos est *naturæ*, ut in *Apertionibus* inducendis hos motus singulari *moderamine* applicet; quo quidem sane plus *toni* valor, quam *pulsus* efficacia contribuit, qui *posterior* ut plurimum *vanis impulsibus* ansam præbet & *generalibus* atque diffusis humorum *commotionibus* caufandis satisfacit, cum *prior particularibus* restrictionibus, appressionibus & *congestionibus* inserviat: hinc illæ *solennes* & notatu dignæ *Apertiones*, quibus sua *sponte natura* evacuationes diversæ speciei administrat, vel quibus *humorum stases* & *occlusiones* iterum *referat* & *recludit*, testimonio *Hæmorrhagiarum* præcipue (ut *diversarum aliarum* evacuationum non reminiscamur) *inflammationum*, *tumorum* & *scirrhorum*: Hinc ipsa *simplex* *Apertionis* significatio *tantum* involvit, quo ad *certa* loca congruus *aditus*, *affluxus* & *transfluxus* humorum concedatur, id quod primario *adminiculante*, *conveniente motuum* directorio contingit: sicuti tantus hisce *motibus* valor adest, quo *per illos* suspectæ *occlusiones* inducantur: quicunque itaque *securas* *Apertiones* *therapeutica* methodo producere & promovere contendit, ille *modum naturæ* nosse debet, quo *sponte* eundem *Apertionis* effectum perficere solet: omnes enim violenti & *impetuosus* modi inducendi *Apertionem* non modo *minus securi*, sed & *dubii* atque *fallaces* sunt: quo magis vero promotio *apertionis* *ordini naturæ* accedit, eo *facilius* & *securius* speratus effectus obtineri potest: interim *Apertio* non modo

ad



ad crassam *evacuationem* sese extendit, sed etiam *viarum* constrictarum & obstructarum *reserationem* respicit quo loco adhuc monemus, ne *crassi* illi modi aperiendi tam ludrice ad *motuum* vitalium *qualitatem* & ordinem applicentur, quasi vel *pondus* & *gravitas* certorum remediorum ejus *efficaciæ* sit, quo vias *vi* quadam recludat & *renitente extensione* aperiat, velut *mercurius currens*, magna quantitate assumptus, *alvum obstructam* aperit: neque etiam tanta *credulitas* in Theoria medica hominum animos occupare debet, quasi *Aperientia talia* dentur, quæ vasorum & ductuum *cavitates positiva* quadam *vi pervadant* & transgrediantur adeoque *proxime, directè* & immediate easdem penetrent & *referent*, uti vulgo de *martialibus* traditur, quasi in affectibus *hypochondriacis positivo* effectu aperiant, id est *pondere* & *spiculis* obstructions penetrent, *transcendant*, *transpriumant*, uti in vernacula dicitur, durchschlagen, durchtreiben, *dieses oder jenes* medicament müßte endlich durchschlagen: cum rectius ex *Highmore* in tractatu de affectu hypochondriaco constet, quod *martialia adstringendo* & non vasa perreptando aut penetrando *aperiant*: licet alii *marti* efficaciam *absorbentem*, humores acidos *edulcorantem* fixos corrigentem & resolventem imputent & ex hoc capite aperitivam vim eidem adscribere malint: quæ assertio vero magis *supposita*, quam *demonstrativa* est, dum ejusmodi aciditates *corrosivæ* hypochondriacæ *funguntur*, quæ si *hujus qualitatis* essent, quo *martem* aggrediantur & sub hoc connubio sese *saturent*, mirum esse omnino deberet, cur non *omnia viscera* in abdomine *corrodant* & discerpant.

## §. VIII.

Tradita hac *generali* animadversione circa *Aperientium modum agendi* occupata, nunc brevibus ad specialiora progrediemur: quod enim communes *quinque Aperientes* radices attinet, tunc illæ *minime* hoc nomine dignæ sunt, cum

D

nullo



nullo effectu *singulari prædominante* qualitate *aperire*prehendantur: dantur tamen remedia, quibus virtus *aperitiva* propterea adscribitur, quia humores *crassiores* colliquare, attenuare & *resolvere* adjuvant, ut ob hanc humorum *attenuationem* non modo *progressus* & transitus massæ sanguineæ per corpus, sed & *se- & excretoriae* functiones *facilius* succedant, eoque ipso effectus *Apertionis* vario modo obtineatur; siquidem *fluidi* humores alios *spissiores* promptius *assorbent* & in suam fluiditatem recipiunt, aut ad infarctus *dissolvendos* & liberandos facilius quadrant: quapropter *incidentia, attenuantia, solventia, colliquantia* Apertionem *facilitant*: inde etiam est cur temperatiora *diaphoretica* aperire adjuvent, quæ *impellente & resolvente* suo effectu huc concurrunt; ex eodem *fundamento* fluit, cur remedia *motum* sanguinis *augentia* effectum *Apertionis* adjuvent, dum vel *attenuationem* humorum promovent vel sub *auctiori progressu* sanguinis *mitiores stagnationes* dissolvunt, aut quando de præsentī natura ad *apparatus excretorios* se accingit, tunc tale motus *progressivi incitamentum* & augmentum tantum aliquando juvat, ut *plenaria excretio* & expressio subsequatur, quæ deinde *Apertionis* inductæ testimonium prodit: & quoniam *diaphoretica positiva* remedia una humores *commovent*, inde etiam est, cur *talia* medicamenta vulgo in *obstructionibus, stagnationibus, stasibus, inflammationibus, infarctibus, scirrhis &c.* commendentur & si recte adhibentur, *non exiguum* adminiculum ad *Apertionem* inducendam conferant: porro *Aperitivam* vim habent *simplicia* remedia *diluentia*, non alio *operandi* modo quam massam sanguinis *fluidificando* & attenuando, nec non *vias leniendo*, humectando & *relaxando*; quæ *diluentia* subinde præcedentes viarum *stricturas* emolliunt & *relaxant*, adeoque *accessui, ingressui & transitui* humorum *viam* pandunt: & hic modus adjuvandi & inducendi *Apertionem*



nem non modo *simplicissimus* & *securissimus*, sed & *efficacissimus* existit : ita præterea *aperitiva* virtus adscribitur remediis *amaris*, quæ in *primas regiones colliquante* præcipue & *abstergente* effectû operantur, dum *impuritates* in hisce viis hærentes *spissiores* ita præparant, quo *facilius* secer- ni & excerni queant, inde partes aperiuntur & ab *infarctibus* & sic dictis *obstructionibus* tam præservantur, quam liberantur; non minus in experientia medica remedia *mitius adstringentia*, sive ita dicta *tonica* aliquando *Aperitivum* effectum edere observantur, qui *effectus* vero illis remediis minime *proprius* aut *simplex* est, sed ut plurimum ex *singulari* prudentis artificis *directione* profluit: etenim quando *natura* jam *proximius* ad aliquam *evacuationis* speciem concurrit, ita ut *congestionibus* ad *locum excretorium* sufficienter *directæ* sint, ut *ultima* tantum *expressio* deficiat; inde contingit, ut ob remedium tale *tonicum* oblatum *natura* in *illo loco*, ubi excretionem prosequitur, *ultimum constrictorium* tentamen suscipiat & congestum ac *coacervatum* humorem denique *exprimat* & expellat, quippe qui *effectus* aperitivus respondet hisce *specialissimis* circumstantiis, quæ in tali casu adfunt: ex hisce animadversionibus hætenus traditis facile liquebit, cur *Acidulis* & *Thermis* *aperitiva* virtus adscribatur, quippe quæ aquæ tam *colliquante* & *abstergente*, quam *diluen- te* & *humectante* effectû apertionem promovent: ita interdû *lenientia* & *emollientia* remedia *Aperitivum* effectum causantur, dum incongruas *stricturas* tollunt, adeoq; partes magis *amplificant* & *pervias* reddunt, quo necessarius *affluxus*, *refluxus* & *effluxus* circa illas ritè succedat: ex *diversitate* itaq; *causarum* ad obstructions disponentium *diversa remedia* differenti modo ad apertionem promovendam contribuunt & cooperantur: aliquando denique remedia *impellentia* & *massam sanguinis* valdè *commoventia* aperitivum effectum nanciscuntur, quæ vero quia *tanto impetu* operantur, non



fatis *secura* sunt: hinc ad *Hæmorrhagias* revocandas & restituendas velut *aperitivo* effectû, *crocata*, *myrrhata*, *volatilia*, *Elix. P. P.* commendantur, qualium remediorum operandi *modus*, illo loco jam explicatus fuit, ubi de *pharmaceutica Hæmorrhagiarum promotione*, sub *Evacuantium* explicatione actum fuit, ut non necesse esse ducamus, quo eandem explicationem hoc loco repetamus.

### §. IX.

Convertimus nos ad RESOLVENTIUM remediorum operandi sive agendi modum & rationem, quippe qui modus ex aperientium tradita explicatione nunc facilius liquebit: *Resolventia* vero proprie illa dicuntur, quæ in genere *spissiores* humores, maxime illos, qui sufficienti *fluiditate* præditi esse debent *attenuant*, quo non modo libere in corpore *progredi*, sed & facile, si necesse fuerit *evacuari* possint; quare *Resolventia* remedia *humoribus* in œconomia *vitali* tractandis necessariam *mobilitatem*, *tenuitatem* & *fluiditatem* conciliant: hoc ipsum contingit, si *spissioribus* talibus materiis *illud adminiculum* primario redditur, per quod *tenuem*, *fluidam* & *mobilem* consistentiam nanciscuntur, uti sufficiens commixtio totius massæ sanguineæ cum *aqua* plurimum ad *attenuationem* humorum *simplicissimo* modo cooperatur: quo magis *terrestres* & ficci enim sunt humores, eo minus promptè minusvè secure *resolutio* per *alia* adminicula tentatur, quoniam illud *primarium* adminiculum deficit in humoribus, nimirum *humiditas*, quæ motum *progressivum* sublevare debet, mediante quo *actualis Resolutio* administrari potest: hinc temerarium, *suspectum* & periculofum est tentamen, quando artifices *spissum* sanguinem cum remediis *subtilioribus* commoventibus, *calefacientibus* & sic dictis *positivè Resolventibus* aggrediuntur; inde enim excitantur *suspecti orgasmi* & variæ *turgesfactiones* sanguinis, ominosi *infarctus* & *oppletiones*, quin plane periculosa *stagna-*



*gnationes & stases*: nulla vero contra *simplicior & securior* methodus & ratio *Resolutionis* administrandæ est, quam si humores sufficienter *diluuntur & humectantur*; hinc *spissiores* materiæ, cum *fluidioribus* magis extenuantur & *dissolvuntur*, proptereaque tota *massa* volubilior & *fluidior* evadit: & quoniam *Calor* ad humorum facile *coagulantium attenuationem* multum contribuit, dum subtili suo *intestino* motu impedit, quo minus *moleculæ mucilaginosæ* facile & *intime coalescant*, sed *à se invicem* detineantur, ita eximiam utilitatem ad inducendam, perficiendam & promovendam *Resolutionē* habent *portiones* temperatæ *calidæ*, decocta & infusa calida, quæ eapropter etiam facilius & *intimius penetrant*, hinc in *primarum viarum*, quin ipsorum *pulmonum* affectibus, qui *Resolutione* indigent, multum utilitatis afferunt: quare cum *Excell. Wedelio* consentimus, qui in *amœnitatibus Mat. med.* ubi de *thoracicis* agit, asserit, quod *Resolventia* sint *anima pectoralium* & plus profint, quam *communia bechica*: interim hoc loco ad huc inter *Resolventia* & *discutientia* distinguimus, de quibus posterioribus inferius adhuc dicturi; proptereaque nunc de *Resolventibus* proprie tractamus, quippe quæ ad humorum *spissitudinem* *primario* directæ sunt: proinde *resolventem* etiam qualitatem habent omnia remedia *subtilia sulphureo-resinosa*, quæ *intimius* massam pervadunt, adeoque *coherentes* *moleculas* sanguinolentas dissolvunt & *attenuant*: hinc omnia *diaphoretica*, *alexipharmaca*, sic dicta *cordialia*, *nervina* &c. quæ hæc principia continent, sunt *resolventia*, quippe quæ dum non modo sanguinis *motum augent* & incitant, sed *subtilibus* suis principiis sulphureis valde *mobilibus* reliquam massam sanguinis *penetrant* & transgrediuntur, eo ipso etiam *crassiores* humores circulantes dissolvunt: frustra vero *acidis* *resolvens* virtus adscribitur, quæ potius *adstringunt* & *incrassant*; *reprimente* vero effectu



*discutiant & dissolvunt*; quare *aceta* illa *pharmaceutica* tam potenter, uti vulgo traditur, haud resolvunt, nisi vel *additæ* species *alexipharmacæ* secundum prædictum modum resolutionis effectum adjuvent, vel aciditas *acetosa* subtili *strictura*, quam causatur, stagnationum *repressionem* promoveat: *mixtum* itaque talem effectum habent, famosa illa composita remedia, quæ *coagulationi* sanguinis, aut *contusioni* opponuntur, cujus conditionis est *pulvis* ille *contracasmus*; tales compositiones tam ex *adstringentibus*, quam sanguinem *commoventibus*, imo interdum etiam *lenientibus* remediis constant: sed quis ita *credulus* fuerit, ut v. g. *Spermatoceti* positivam *resolventem* vim adscribat, ni illud *lenitione* sua vi vel *spissiores* humores *emolliat*, ut facilius moveri, promoveri & emoveri queant, vel vias *strictas* elubricet & *relaxet*, quo humores affluentes facilius transmittant, hinc in *oppletionibus* pulmonum & *adstrictionibus* viarum urinarum non modo hoc sperma ceti, sed & *aliæ pinguedines*, *gelatinæ* & *oleosæ* substantiæ referant & effectum *Resolutionis* æmulum post se relinquunt: & quanquam *acetum* pro eximio *resolvente* remedio declaretur, tamen effectus, qui resolutionem æmulatur, ut plurimum *longe alio*, quam *resolvente* modo contingit, interim adhuc acetum *spirituosa sulphurea* principia continet, quæ *simpliciori* modo resolutionem facilitant aut inducunt; quod denique de *absorbentium* terreorum *resolvente* qualitate traditur, illud haud *absolutæ* veritatis est, ni talia remedia certis humoribus *eiusmodi consistentiam* concilient, qua facile *aliorum ferri* & è *pristinis* locis, quæ hætenus detinuerant, *dimoveri* queant: unde remedia *absorbentia*, *abstergentia*, *diluentia*, *lenientia*, *colliquantia* quoad effectus suos *sibi invicem* inserviunt.

## §. X.

Aggredimur nunc aliam speciem remediorum *humores attenuantium* & ad facilem *commotionem* & *emotionem* dispo-



disponentium, nimirum medicamenta sic dicta INCIDENTIA, quæ denominatio illum *modum* exprimit quo in materias substratas operari creduntur & traduntur: dicuntur itaque peculiari notione & notatione *Incidentia* remedia, quasi subiecta *potentioris* efficaciam, quæ in objecta *crudiora*, crassiora & magis *refractoria* operantur & quæ nulla *simplici resolutoria* commotione aut *dilutione* dissolvi & attenuari possunt, quare tali instrumento *acuminato* & *incidente* opus esse, quæ efficacius & *intimius* penetrant: ob id *Incidentia* remedia, vi hujus denominationis stant in *correlatione* quadam, cum humoribus *spissioribus*, *tenacioribus*, mucidioribus; neque æque hæc remedia tam simpliciter cum *massa sanguinea* commercium habent, sed rectius cum humoribus *mucido-serosis* in *intestinis*, *primis viis*, quin ipsis etiam *pulmonibus* obhaerescantibus & afflictiones suas causantibus, quales *spissiores* materiae quoniam *subtilioribus* solventibus medicamentis non obtemperant, ob id *potentiori* & efficaciori aggressionem & *ingressione* tractari & subjugari merentur: stante hac *allegoria*, quæ *Incidentia* medicamenta concernit, jam *vulgata* opinio, quæ inter *physicos* & *chymicos* floret & fluctuat, de *salibus*, mox præcedenti animadversioni ad latus ponenda erit, videlicet, quod *salia* nil nisi *aculei*, *hastæ* & *cuspides*, sive *gladioli*, *mucrones*, *pugiones* &c. existant, quæ in substratas materias operantur; & hæc non alia *efficacia* est, quam *colliquans* atque *dissolvens*; quando enim hæc *salina* remedia cum aliquali *humiditate* solvuntur, tunc in substratos humores *mucidos* *ingressum* nanciscuntur, quos mediante *aquoso* vehiculo efficacius penetrant & attenuant: cur vero non omnia *salina* subiecta hac *incisoria* vi prædita sint, sed quædam etiam mucositatem coagulent & in spissiore ac *viscidior* consistentiam convertant, *nondum* inter *physicos* & *chymicos* satis

*solide*



*solide & perspicue* demonstratum est; unde in *subtiliorem* modum operandi, quo *salina* quædam remedia *incidunt*, describendum non delabimur, ne *obscura*, inutilia & vana proponamus: est interim *relatio* materiarum *ad se invicem* multiplex, in qua recte agnoscenda & comprehendenda longe majori studio rerum physicarum indagatores solliciti esse debent, quam in eruendis obscuris, subtilibus & *intricatis* causis, sive scientiis τῶν διότι operosi: inde etiam est, cur per *assimilationem*, ne medici nihil dixisse videantur, quædam remedia *incidentia* nuncupentur: vera enim *proxima & simplex* ratio cur *acida coagulent & amara incidant*, omnes *physicos & chymicos*, quod *cum illorum pace* dictum esse volumus, alte & constanter *latet*: neque in hoc defectu *microscopia* utilitatem aliquam unquam hactenus attulerunt, cum quibus forte *figuræ* salinarum particularum explorari debuerant: neque etiam exacte describi potest, quo *motu incidentia* operentur, an videlicet *salia* illa *incidentia* in *humores* insultent, hosque *pungant & quisnam* genuinus *impulsor* sit, qui hæc *salia* in motum transferat, id certe *adeo perspicue* demonstrari non potest, neque æque hæc *demonstratio*, si quoad omnia requisita vera esset, *tantam utilitatem* arti medicæ afferret; quare merito à *tantis speciosis & inutilibus subtilitatibus* abstinemus: illud ad minimum ex *effectu*, (quoniam rationes à *priori* defunt & speculatorem destituunt, ni quisquam *nomen fingere & obscura principia* obtrudere & supponere adeoque per *petitionem principii* philosophari malit,) colligere & observare licet, quod cum *humiditate aquosa* soluta talia *salia* facilius & efficacius operentur & quidem per modum sic dictæ *incisionis, attenuationis & dissolutionis*: hinc *salia fontana*, cum *aqua extenuata* citius *incidunt*, quam *pulverulenta*, inde est cur *acidula, thermæ, sal anglicanum, salis tartarificata, sal mirabile, citius & potentius* incidant, quam



quam *salia fixa, pulverulenta & communia digestiva*: exinde concludimus, quod hunc *Incisionis* effectum multum *allevet* & promoveat *materiarum tenacium & spissarum* sufficiens *humectatio & dilutio*: habent vero etiam *incidentem* talem qualitatem *subjecta salino-sulphurea* & quidem *subtilia*, neque admodum *fixa*, quæ per motum *caloris* adeo *impelluntur*, ut *materias spissiores*, quas offendunt efficacius *incidant & dissolvant*, hujus indolis sunt *Zingiber, arum, squilla, Synapi, cepæ & diversa acria & simul amara* *subjecta*, velut *Cochlearia, Fumaria*, quorum principia subtilia salino-sulphurea facilius per motum *caloris* exaltantur & in *materias circumjacentes mucidas* projiciuntur: quod vero talia *subjecta* *incidentem* suam efficaciam in *pulmones & renes* extendant, ex illa *speciali relatione* *materiarum* ad se invicem fluit, qua *una materia in alia* facilius hæret, *aliam* facilius alterat & *cum alia* facilius *congregatur*.

## §. XI.

Brevibus etiam aliqua de ABSTERGENTIBUS notare lubet: hæc enim in tantum *Evacuantium* numero *eximere* placet, in quantum *materias excrementitias* ad *faciliorem evacuationem præparant*: hæc præparatio vero in illo effectum consistit, quod has *inutiles materias*, partibus *solidis* adhærentes, *abstergentia dissolvant* & ab hoc *nexu* liberent: adeoque *Absterfio* vi vocis nihil aliud est quam *materiæ inutilis separatio & remotio à partibus & organis* vitalitati *inservientibus*, ne *materia talis* successive vel partium illarum *structuram* lædat, vel *usum* earundem impediat & *sufflammet*: & talis *Absterfio* vel *internè* vel *externè* succedit: in *genere* quidem *Absterfio medica & pharmaceutica* involvit *remotionem spissioris & simul impurioris materiæ à partibus sanis & integris*, aut etiam à partibus *exulceratis* unde in *phthysi & hectica*, sive in *ulceratione pulmonum* aliarum-  
E
que



que internarum partium abstergentia remedia locum inveniunt; quemadmodum etiam *externæ* ulcerationes superficiales *refractoriæ* & valde impuræ *efficaciori* quadam Absterfione interdum indigent: est vero effectus absterforius *diversus*, prout circumstantiæ variant: etenim quando partibus *glandulosis*, porosis & *cribrosis* in- & adhærent *spissiores* impuritates, tunc communiter *prædicta* incidentia remedia *absterforia* qualitate prædita sunt, dum soluta *salia viscositatibus* se insinuant, hasque *dituunt*, eluunt, *dissolvunt* & *mobiles* atque volubiles reddunt, quo posthac facilius transprimi & separari queant: & huius facultatis sunt *salia* illa famosa *detersiva amara* & lixiviosa: quin ipsa illa *salia saponaria alcalina* ejusdem utilitatis sunt, quæ cum *acidis* & *biliosis* inquinamentis *primarum regionum* congregiuntur, ut sub *motu* hoc, quo *acida* & *alkalia* inter se conveniunt, impuritatibus illis acescentibus *mobilitas* concilietur & hinc *beterogeneæ* tales substantiæ facilius *removeri* & *removeri* queant: non minus subiecta pharmaceutica cum materiis *spissioribus* & simul impurioribus in corpore humano modeste *fermentantia*, *abstersiva* hac virtute prædita sunt, qualia sunt *dulcia*, *mellita*, *prunata*, *passulata*, *mannata*, *tamarindinata* & similia: quin ipsa etiam *theribinthinata* mediante *sulphureo-resinosa* & *salina* sua substantia, alias *spissiores*, mucido-sero-lymphaticas materias *dissolvunt*, *colliquant*, *attenuant*, eoque ipso absterfionem adjuvant, non alio quam tali dissolutorio & resolvente modo atque effectû: ad hunc *absterforium* effectum vero ex *una* quidem parte *remedium*, ex *altera* vero, *natura* concurrit, *illud materiam* peccantem *alterat*, *colliquat* & *resolvit*, hæc eandem posthac è *viis* atque *partibus* propriis & *ultimum* absterfionis effectum committit: Proinde etiam dantur *externa abstergentia*, quæ sordes *viscidiores* ab ulceribus remonent, non alio operandi modo, nisi vel *spissas* materias *resolvendo* & *subtili* atque efficaci motu

per-



*pervadendo, vel fermentativa commotione colliquando & penetrando, vel septica quadam qualitate, corrodendo eoque ipso in mobiliorem consistentiam convertendo: hujus indolis sunt decocta amara & therebinthinata, mellita & corrosiva: simili etiam ratione & operandi modo mellita remedia ulcera pulmonum, hepatis, renum abstergunt & repurgant, dum mediante sanguine ad prædicta loca pertingunt, cum impuritate ulcerosa acetosa congregiuntur & subtilem fermentativam commotionem suscipiunt, eoque ipso hanc saburram ulcerosam mobiliorem reddunt, quo ab affectis partibus facilius secedat, ut aliqualis repurgationis effectus consequatur: tanto magis vero hic Abstersionis effectus facilitatur & promovetur, quando sufficiens humidatio conciliatur, ubi spissiores impuritates una eluuntur & cum remediis sic dictis abstergentibus in fluidiorem consistentiam convertuntur: præterea etiam Abstersoriam vim habent teneriora mucilaginosa & gelatinosa remedia, quæ cum consistentiâ suâ spissiuscula subtiliores salinas, sulphureas aut biliosas substantias, intimius & subtilius partibus tunicaceis & membranaceis adherentes, involvunt, implicant & elauunt, ut deinde eò melius, citius & facilius à partibus illis separari & ut vulgo dicitur abstergi possint: hinc in tussi acri, catarrho rheumatodeo, rheumatismo, affectibus cholericis talia abstergentia simplici, sed satis efficaci, securo & utili modo conducunt: denique singularis ille modus abstersionis est, quando oblata quædam salina remedia non modo diversas materias colliquant, sed & partes continentes & contiguas stimulant, quo ad easdem copiosior humiditas advehatur & cum hac contentæ materiæ spissiores emolliantur & mobilitentur, quo denique eo facilius ab illis partibus, in quibus hæserunt, removeri & abstergi queant: ex quibus animadversionibus nunc liquet, quam diversus sit modus, quo sic dicta remedia abstergentia operantur, | pro-*



ut ipsæ *causæ* & *occasionēs*, absterſionem, requirentes, discrepant.

## §. XII.

Progredimur jam ad ABSORBENTIA remedia, quæ singularem *usum* & *utilitatem* in Medicina Practica habent, quorum modum operandi, ne quisquam *sinistrè* illum interpretetur, nosse etiam expediet: est vero Absorbentium *appellatio* iterum *analogica*, ubi minime sibi quisquam persuadere debet, quasi Absorbentia remedia *simplici* & *communi* quodam effectu alias materias *devorent*, ingerant & in *suam substantiam* convertant; vel quasi *vaginæ* instar alia *spicula* salina in *cavitates* suas recipiant, recondant & occludant, ut hæc *salia* sylvestria, peregrina & *inimica* corpus afficere & lædere haud queant: illud vero in genere sciendum est, quod hæc Absorbentia medicamenta aliarum materialium *præcípites noxias* efficacias hebetent, enervent, *obtundant* & velut *resorbeant*, ne *sui juris* maneant & in simplici *concentrata* sua qualitate noxam pariant: hinc talia Absorbentia subiecta, aliarum materialium *essentiam* quidem *non immutant* aut invertunt, sed *pristinam* illarum *qualitatem* variant, ne *adeo nociva* & suspecta sit: hac ratione hæc Absorbentia remedia *variis* aliis operationibus *therapeuticis* subserviunt & *Abstergentibus*, *Aperientibus* & nonnullis aliis *cooperantem* suam utilitatem conciliant: sunt itaque Absorbentia medicamenta ut plurimum *terrea insipida* corpora, quæ propterea cum nullo speciali & *specioso salino* principio operantur, nisi quisquam *calcareo alcalinam* substantiam accusare velit, quæ tamen in *simplici* & *communi* Absorbente & refracta illius dosi admodum *exigua* & vix notari digna est; unde rectius cum *terreo* suo principio *physicum* illum effectum sic dictum Absorbentem perpetrant: *congregiuntur* itaque Absorbentia secundum effectum, nomini suo competentem, cum materiis *salinis, acribus, acidis, sti-*  
mu-



mulantibus & nonnunquam plane *corrosivis*: & sicut *incidentia* & quædam *abstergentia* remedia *salinæ* indolis sunt, quæ aliquando cum *insipida* tenaci mucositate commercium habent, ita vicissim *Absorbentia insipida* cum materiis *salinis* pugnant: & tales materiæ nonnunquam in *partibus* hærent, aliquando *per humores* sunt diffusæ; uti nonnunquam *serum acre*, valde *salsum*, per *massam sanguineam* dispersum per *Absorbentia* remedia *emendatur*: & quemadmodum ad interna & externa *ulcera* tale *acre* serum affluens corruptionem *auget*, aut quemadmodum *ipsa* talis ulceratio ejusmodi *acres* humores *generat*, ita proinde in tali afflictione *Absorbentia* medicamenta non exiguam utilitatem habent: nititur vera Absorbentium *operandi modus* illa *relatione* & combinatione, qua *acidæ* materiæ erga *terras macras* & siccas sese habent: inde è *chymicis* simplicissimis experimentis constat, quando vel magis vel minus *concentrati* liquores *acidi* cum *terrestribus* talibus corporibus commiscentur, hinc contingit, ut *acidi* illi liquores *terras* adjectas *dissolvant*, *corrodant*, cum hisce congregiantur, *superficietenus* iisdem adhærescant, ut nunc *crassior* quædam mixtio succedat, quæ tamen *facile* iterum *dissolvi* potest: quare *quælibet* molecula ex *acido* & *terreo* principio constat, unde etiam imposterum *acidum* illud menstruum non amplius *sui juris* est, sed *corrosivam* suam *efficaciam*, *saporem*, *odorem* & ex parte etiam *colorem* *amittit*: etenim *sapor* acidus & *effectus* corrosivus *infringuntur* & hebetantur, quod *idem est*, ac *acidæ* materiæ adjectam *terram* *absorbeant*, i. e. in nexum & *mixtionem* suam complectantur: & hic est modus, quo eadem *Absorbentia* etiam in corpore *vivo* operantur, ubicunque enim illa tales humores *acres*, *salinos*, *acidos*, *corrosivos* & *biliosos* offendunt, ibi hi eadem aggrediuntur, *solvunt*, *absorbent*, sed eo ipso in sua *acrimonia* *minuuntur*, ut proinde *connexæ stimulationes* evilescant & varii *perniciosi*



*ciosi effectus extinguantur: & hic effectus longe simplicior & evidentior est, quam si obscurum quoddam sulphur aut sal in Absorbentibus accusare velimus: moderamine vero opus est, si Absorbentia Aperientibus inservire debent, cum facili negotio evenire possit, quo sub liberaliori illorum ordinatione suspectæ impastationes & incrassationes inducantur; in quocunque itaque affectu aliqualis vera acrimonia adest, ibi Absorbentia remedia genuinum illum effectum edunt, per quem Absorbentia audiunt: neque æque necesse est, quo semper in aliquo morbo crassa aciditas, falsedo aut acrimonia adsit, cum Absorbentia corpora successive, leniter, subtiliter & efficaciter remissus acidis liquoribus combinentur, uti hujus veritatis multiplicia tam æconomica, quam speciosius artificialia & chymica experimenta prostant.*

### §. XIII.

Ad ANTISCORBUTICA remedia horumque modum operandi procedimus, ubi brevibus præmonemus ne in scorbuto accusando & antiscorbuticis remediis fingendis faciles & pronos nos exhibeamus, sed secundum hujus affectus indolem & qualitates prudenter judicemus: etenim scorbutus est morbus plane specificus, quare antiscorbutica remedia specialibus qualitatibus prædita sunt; quæ licet etiam in aliis affectibus aliquam opem afferant, tamen iisdem non cum tanta efficacia & proximiori convenientia profunt, ac scorbuto prodesse deprehenduntur: & ita quidem scorbutus est malum complicatum, consistens in lentescente sanguinis spissitudine, seri acrioris copiosa collectione & deficiente mixtione cum sanguine; sive ut Hippocrates in Libr. de Prisca Medicina de salibus dicit: ubi quid horum secretum, atque ipsum in se ipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem lædit: hinc antiscorbutica talia sunt remedia, quæ lentescentem hanc sanguinis spissitudinem dissolvunt, lympham & mucositatem coagulata intius



mius *attenuant*, serum etiam *acre liquant* & fundunt sive *resolvunt* & ad faciliorem se & *Excretionem* præparant: pro hoc scopo vero non *communia Resolventia* & colliquantia remedia satisfaciunt, quæ *lentescentem* illam spissitudinem *non satis intimè* ingrediuntur atque penetrant, neque etiam propterea hæc Antiscorbutica *specialia* remedia tam *facile* aut *liberaliter* aliis sanguinis *spissitudinibus* & simplicioribus & communioribus opponenda sunt, ni suspectas *spumefactorias* sanguinis commotiones causari debeant, unde & *usus* & *modus operandi* Antiscorbuticorum remediorum singularis & *specialis* est: requirit vero *lentescens* spissitudo sanguinis non *debilia*, sed *efficacia* remedia, unde vulgo dicuntur *Antiscorbutica* remedia cum *sale acri volatili* prædita, quæ eo *potentius*, eoque *intimius* alios humores invadunt & *penetrant*: quando itaque hæc *salia subtilia* & mobilia in corpore *solvuntur*, & cum *caloris* motu impelluntur, tunc massam sanguinis *spissam* & *serum acre* mucilaginosum potenter invadunt, subtiliter & *efficaciter* *divellunt* atque dissolvunt, quæ *salia* cum de *volatili* qualitate participant, ita non modo *facilius* humores *spissos* simplices aggrediuntur, sed & in *falsedines fixas* scorbuticas æque facile operantur, adeoque *dyscrasiam serosam* & connexam *spissitudinem* sanguinis specialem efficaciter alterant & invertunt; & quanquam *alia resolventia* remedia in scorbuto non ita *penitus inutilia* existant, tamen *tantum* non efficiunt, ac hæc *Antiscorbutica* remedia, quorum *salia* in *mucilaginoso-serosam* substantiam *magis*, quam in *sanguinem* simpliciore operari deprehenduntur, hinc in scorbuto non tam facile *orgasticas* commotiones causantur, ac *alia resolventia sulphureo-salina* remedia, quæ *plus* de *sulphureo* principio participant, quod efficacius ad intestinas *spumefactorias* commotiones concurrat; contra in *Antiscorbuticis* remediis *sali-*



*Salina* principia *præ sulphureis* abundant, unde magis *colliquantem* efficaciam habent: non vero propterea *omni sulphureo* principio destituta sunt, sed *subtile* & satis *efficax* tale sulphur possident, testimonio *fumarie* & *Cochlearie*: sed hæc ipsa etiam *Antiscorbutica* si adhibentur *liberali manu* aut *indiscreto* usu in subjectis *floridioris* sanguinis & mobiliorum humorum, imprimis in *infantibus*, tunc per hoc suum copiosum sal *acre* subtile *immoderatas* commotiones *turgescentes* causantur; ex quo phænomeno liquet, *quantæ* *efficaciæ* talia remedia sint, quæ *specialius* *scorbuto* opposita esse deprehenduntur, quæ propterea *non promiscuè* ordinanda sunt: neque etiam tam *facile* scorbuti præsentia accusanda, ubi *alia* calamitas *morbosa* affligit, alias hæc *Antiscorbutica* remedia secundum suum *specialem* modum operantia veram & *genuinam causam* non aggrediuntur & ita *contrarios* effectus edunt, aut ad minimum illa *circumspectio* adhiberi debet, ne *efficaciora* talia *Antiscorbutica* medicamenta nimis *secure* nimisve *copiose* exhibeantur, quæ regula præter alios morbos etiam præcipuè in *affectu hypochondriaco* fervari debet, quam *potens* & *intimius* ille operandi modus remediorum *Antiscorbuticorum* facile *molestè* afficit & *exacerbat*, ni cum remediis talibus exactum *moderamen* fervetur: de reliquo non parum hunc *Antiscorbuticorum* modum operandi ad *salutarem* effectum promovent *diluentia* adminicula, quæ *spissos* humores humectant & emolliunt, *serosos* vero *acres* temperant, extenuant & in sua *acrimonia enervant*: neque vero tantum hæc *Antiscorbutica* medicamenta humores *alterant*, sed eo ipso *naturam* alliciunt & invitant, quo *præparatos* tales humores melius & *facilius excernat*, quid quod subinde *propter hoc sal acre*, quo *Antiscorbutica* gaudent, *diuresis* exstimulatur, ut *serum abundans* copiosius excernatur, eoque ipso hæc *dyscrasia* emendetur: hinc remedia



dia illa *serosis* evacuationibus *facilitandis* & ex parte *exstimulandis* inferviant: quippe qui *modus* ille est, qualem hactenus indicavimus, quo *Antiscorbutica* remedia operari solent.

## §. XIV.

Ne vero famigerata illa EDULCORANTIA remedia oblivioni tradamus, illorum hoc ordine mentionem injicere placet; antequam etiam horum operandi modum explicemus, necesse esse judicamus, quo à *plebe* jo illo *Edulcorantium* sensu diffuadeamus, quoniam simplex *dulcificatio* corporis per hanc qualitatem nullam *directam utilitatem* habet: Versatur vero *Edulcoratio* circa humores *acidos, austeros, acres*, sive ut juxta *communem stylum* loquamur circa *acrimoniam* sanguinis, quæ quia in se spectata à *naturali* & *sana* crasi discedit, adeoque vario modo ad *corruptionem* disponit, subinde etiam *partes* corporis *textas* & *structas* moleste afficit & *stimulat*, imo *teneras* & *subtiles* partes *membranaceas* plane aggreditur & *corrodente* quodam effectu violat, propterea in eadem *prava* & *vitiosa* qualitate aliquali alteratione & *correctione* indiget; & hæc emendatio ab *opposito* suam denominationem nacta est, sicut vulgo *aciditati* & *acrimonix dulcedo* opponi solet: *medico* vero sensu illa *edulcorantia* appellanda sunt, quæ *salinam* humorum *dyscrasiam* eousque *emendant*, quo *naturalis* & *sana crasis* iisdem humoribus *restituatur*; ubi frustra *dulcis* sapor & qualitas humoribus conciliatur, quoniam ipsæ *dulces* substantiæ facile *acescunt* & in simile *corrosivum* acidum degenerant: neque tamen propterea homines, de *vita nimium solliciti*, dulcia penitus *reformidare* & *exhorrescere* debent: *Edulcorantia* vero sensui & usui *medico* accommodata non *meliora* sunt, quam quæ *impuritates* illas, quotquot sanguinis *dyscrasiam* induxerunt, remonent & educunt & hoc nomine *omnes* evacuationum species *edul-*



corantem effectum habent, dum corpus & præcipue humores ab illis materiis, quæ *acrimoniam* & qualemcunque aliam *sapidam caecosin* causantur, liberant: quæcunque etiam consilia & auxilia *præcauent*, quo minus materiæ *acres, saline, sulphureæ* nimia quantitate intra corpus ingerantur, illa *remotivè* operantur, quo humores *edulcorentur*: aut quæcunque adminicula *excretiones* tali *proportione* promovent, qua *ingestionibus* respondent, illa *edulcorantem* effectum habent: & hic *simplicissimus* edulcorationis modus est, qui *œconomix vitali* exactè convenit & *rationi* æque ac *experientiæ* exquisitè quadrat: quod si etiam artifex quamcunque aliam *speciosam* methodum *edulcoranti* effectui destinata adhibuerit, hac *præcedente* neglecta, tunc cura mere *palliativa* & fucata est, siquidem impuritates salinæ modo *quodantenus involvuntur* & *noxius* illarum effectus *retardatur*, sed eo ipso sub mixta & *confusa* tali qualitate & consistentia eadem *accumulantur*, ut denique *involucrum* & vehiculum talium *heterogeneitatum* una cum *principali* materia *peccante* corrumpere & *nocumentum* suum *disseminare* inchoet, ut *ultimus dolus* malignitate sua *priorè* superet: ex eo inferimus & *demonstramus*, quod *securus & sincerus* Edulcorationis modus atque effectus in tempestitiva & legitima *impuritatum evacuatione* consistat; reliquus enim edulcorationis modus ad hunc *principaliorem* collimat: ita enim *Edulcorantia* quædam operantur dum *absorbent acidas, biliosas* &c. impuritates, quo sensu, usu atque effectu *absorbentia* Edulcorantium numero accenferi possunt, per hæc enim remedia illarum *heterogeneitatum acredo* corrigitur & infringitur, quo minus *noxios* suos effectus exferere queant: eadem ratione *diluentia, humectantia* edulcorantem efficaciam habent, dum partim *salinas acres* impuritates *extenuant* & dilutione tali infringunt, partim ad *faciliorem, citiorem & copiosiore evacuationem* præparant: ejus-



eiusdem census atque valoris sunt *gelatinosa*, *mucilaginosa*, *pinguia*, *lacticina*, *pultacea*, *emulsiva* & quælibet *simpliciora oleosa* & *lenientia*, quæ singulas illas materias quales humoribus *acrem* & *salinam dyscrasiam* conciliant, *involvunt*, *demulcent*, *elubricant* & *coercent*: *proprie* vero sic dicta *dulcia* & *Edulcorantia* hoc loco *longe minimam* sibi vindicant partem, cum magis *physico*, quam *medico* usui respondeant: quicquid tamen *interdum* dulcia pro hoc scopo conferunt, mediante *mucilagine* sua connexa efficiunt: sed cavendum etiam est, ne ex *sinistra interpretatione* & applicatione *edulcorantium falsæ* deinde *theoriæ* conficiantur, quale quid evenit, quando per *internum lactis* usum nonnunquam *spasmodici* affectus *mitigantur*: ubi frustra quidam ad *simplicem Edulcorantem* lactis effectum provocant, aut *salia illa stimulantia*, *pungentia* & *rodentia* in ejusmodi affectibus acculant, ubi *simplex lenitio* majoris *valoris* est in tali effectum, quam *ominosa illa* & *abstrusa Edulcoratio physica*, quæ satis sæpe concurrentibus circumstantiis non respondet: error vero hujus malæ *Edulcorantium* interpretationis & explanationis exinde provenisse videtur, quia *Edulcorantia* remedia de *tenui mucilagine* participant, quæ cum *acidis* principiis mixta *dulcem* saporem causantur, unde quidam *dulci* saporis vim *medicam* adsignarunt, *lenientem* vero & involventem *mucilaginosa* substantiæ qualitatem *neglexerunt*, inde factum ut *edulcorationis* effectus hominum animos occupaverit, man müsse das Geblüt versüßen: huc pertinet, quod juxta communē æstimationem *dulcedinis* benignitas & *suavitas* præferatur, *aciditatis* vicissim *malignitas* declamatur, ut propterea & varii medici & reliqui homines *Edulcorationis* methodo, juxta *plebejū* hunc sensum subscribant, cum tamen per justas *evacuationum* promotiones *optima Edulcoratio* obtineatur.



## §. XV.

Placet etiam hoc ordine DISCUTIENTIUM remedium mentionem facere, illorumque modum operandi indicare; præmonemus vero quod inter *Discutientia*, *Resolventia* & *Aperientia* aliqualis *convenientia*, sed etiam vicissim quædam *diversitas* intercedat: hoc *discrimen* in eo consistit, quod *Discutientia* magis commercium habeant cum *contumacibus stagnationibus, stasibus, obstructionibus & inflammationibus*, quam *Resolventia* & *aperientia*; deinde *discutientia* etiã magis sese ad *topicum* usum extendunt, quam reliqua, licet *discussio* etiam per *modum resolutionis* procedat: ita enim non existimandum est, quasi *internus* *discutientium* usus *talem* effectum involvat, quod remedia hujus nominis ita simpliciter ad *locum affectum* pertingant & in illo cum aliqua *vi* materias hærentes & extra legitimum *progreidentem* & transeuntem motum constitutas, *dissipent*, dispergant & distrahant, sed *modus internæ* *discussio*nis alterius est conditionis, *Discutientia* enim remedia communiter & *primario* participant de principiis copiosis & *subtilibus sulphureis*, quæ si liberata & *attenuata*, insuperque in *massam sanguinis* recepta fuerint, excitant & *augent* motum *intestinum* in sanguine, qui per se ad *attenuationem* & *resolutionem* imo connexam *discussionem* *mixtarum* & *occlusarum* contribuit: proinde vero etiam incitatur & *augetur* motus *progressivus*, sub quo augmento *stagnationes* reforbentur, *stases* referantur, humores *occlusi* & in *progressivo* suo motu impediti *successive* absterguntur & *avelluntur* in sanguinem *alluentem* recipiuntur iterumque in *pristinum motum* atque *progressum* reducuntur, ut *consequenter* *Discussio* succedat: tanto facilius hoc contingit, si ad *locum affectum* à natura *particulari directione* & *proportionata* activitate humorum *affluxus* congeritur, sub quo *vegetiori* & *efficaciori* affluxu humores *stagnantes* aut in *stasin* dela-



delapsi successive in *circumferentia* & ambitu suo abraduntur & *resorbentur*, donec hæc Discussio *meditullium* stagnationis & staseos attigerit, adeoque penitus ad *salutarem* & necessarium effectum & eventum pertigerit : & in hoc *interno* discutiendi modo *natura* humana perquam *operosa* esse deprehenditur, quæ *motus* eo *dirigit*, quo *Discussionis* effectus *consequatur*, nudus enim humorum *impulsus* non absolvit negotium & æque facile ad *stagnationes* & *stases* inducendas, confirmandas & *augendas* contribuit, ac *discutiendas* & dissipandas, nî *natura* remediorum discutiientium *efficaciam physicam* tam in genere *dirigat*, ne *noxam* pariat, quam seorsim ad *locum affectum* applicet, quo *salutaris* effectus proveniat : haud enim ullo jure, ullave ratione ex *merè physicis* & *mechanicis* causis, excluso hoc *palmario* naturæ concursu, *Discussionis* effectus deduci & explicari potest, nî *crassis suppositionibus* & *petitionibus principii* quisquam contentus esse malit, præprimis cum virtus Discussoria *remediis* hujus nominis non sit *absoluta*, quoniam hæc *remedia* in *humoribus* primario & *simplici* sua efficacia per *modum* & *motum physicum intestinam* commotionem augent, quæ licet *resolventem* effectum post se trahat, tamen *altioris* momenti est, quomodo hic resolvens effectus ad *locum affectum* promoveatur, aut quomodo tam diu *continuet*, donec ad *locum affectum* pertingat, quomodo præsentem *stagnationem* & *stasin* aggrediatur, quomodo *vi* sua *physica* cum *iusta proportionem respondeat afflictioni*, nam si inter *resolvens* & *resolvendum* nulla *proportio* intercedit, *frustra* tunc expectatur *salutaris* effectus & eventus : quod *externa* discutiencia attinet, tunc illa communiter *non alterius* indolis sunt, quam *sulphureæ, spirituosæ, salinæ*, quæ partibus affectis *immediate* applicata illarum *tonum augent* & *nervina* virtute roborant, inde evenit, ut *subterjacentes stagnationes* aut *stases* humorum efficacius *transprimantur* & sub



fortiori tonica partium *constrictione* dissolvantur, *divellantur* & ita *discutiantur*; vel hæc principia *subtilia* & *volatilia* *intran* *poros* affectarum partium & cum sanguine *al-luente* se *commiscent*, proinde motum *intestinum* augent, præsentem *stagnationem* & *stasin* potentius invadunt, ag-grediuntur, *ingrediuntur*, resolvunt, *dissolvunt* & *discuti-unt*: id quod tanto facilius contingere potest, quo *proxi-mius* hæc *subtilia* & *mobilia* principia præsentem labem *attingunt*: frustra itaque *extrinsecus* talis discussio tenta-tur, ubi *stagnatio* aut *stasis* *intrinsecus* hæret, ad quam *inti-miorem* regionem remedia discutientia *non penetrant* inde colligere licet, quid *Discutientia topica* in *Peripneumonia*, *Hepatitis*, &c. profint, ubi potius effectus qualiscunque etiam *Discussorius* forte *consequitur*, nudæ *naturæ* activitati & *directioni* adscribendus est; de *Camphoræ* usu *externo* seorsim hæc monere lubet, quod illius *volatilia* principia fragran-tia, non modo secundum hunc jam traditum modum ope-rentur, sed quod etiam *poros cutis* adeo efficaciter *ampli-ficent*, ut ab *intra* sub discussionis effectû genita *subtilia* apopasmata serosa facilius *expirare* & ita eo melius & sincerius *Discussio* salutarem effectum impetrare possit: obeandem etiam rationem eadem *camphora extrinsecus* ap-plicata *diaphoresin* faciliat: denique *differentia* in hoc ef-fectu *discussorio* annotanda & inculcanda est, quod repres-sionis *adstrictoriæ* aut potentioris *retropulsionis* effectus *alio modo* atque *gradu* procedat, quam qui propiori sensu *discussioni* annumerari debet: de qua re supra ubi de *ad-stringentibus* sermo fuit, actum est.

## §. XVI.

Cum in præcedentibus circa diversam talem speci-em *Alterationum* occupati fuerimus, quæ *humorum atte-nuatio*



*nuationem, discussionem, commotionem & promotionem* con-  
nunt, ita nunc *oppositam* quandam qualitatem perlustrare  
volumus & præcipue hoc ordine INCRASSANTI-  
UM modum operandi explicare cogitamus: sed ipsa hæc  
*denominatio* satis clarè exprimit *modum operandi*, qui in eo  
consistit, quando partibus *fluidis, mobilibus* & ad commotio-  
nes atque emotiones pronis, tales *causæ & talia instrumenta*  
atque adminicula applicantur, quæ iisdem aliqualem *spissi-  
tudinem & crassitiem* conciliant, quo minus *suspectis* illis  
*commotionibus* atque *emotionibus* obtemperent: nunc vero  
ex ipsa humorum *indole* inquirendum est, *qualis* videlicet  
humor *incrassationi* facilius obnoxius sit, ubi facile patet  
quod *serum* in se spectatum non modo *obtenuia* principia,  
sed & ob *mobilitatem* suam plus *attenuationi* quam inspissa-  
tioni expositum sit: interim *in genere* de *massa sanguinea*  
constat, quam valde propendeat in *crassitiem & coagulatio-  
nem*, adeo ut *multiplices* causæ eo contribuere observentur:  
in hac *massa sanguinea* vero nullus humor facilius suspe-  
ctam talem *crassitiem* assumit, quam *mucilago & lympba*, qui-  
pe qui succi illius *consistentiæ* eorundemque *principiorum*  
sunt, ut ab aliis principiis & qualitatibus *physicis* facile in  
hanc *crassitiem* converti queant: *lympba* enim *gelatinosam*  
habet *indolem*, quæ propterea *refrigerata* vel *debilius com-  
mota* vel cum *salino* principio inquinata facile *spissitudinem*  
induit: *mucilago* vero quando non sufficienter *humectatur*,  
aut negligentius *commovetur*, vel cum *acido* subjecto impræ-  
gnatur, perinde facile *tenacem* *crassitiem* assumit: quapro-  
pter aliquando *incrassatio* succedit, quando humores *segni-  
us*, debilius & negligentius *circulantur* & per partes *porosas*  
transprimuntur: huc *sedentarium & otiosum* vitæ genus effi-  
caciter contribuit: ea propter *hyberno* tempore, ubi ho-  
mines non *tam valide* corpus exercent atque movent, quam  
alio, humores *spissiores & crassiores* existunt, e qua *spissitudi-  
ne*



ne succorum varii morbi proveniunt : vicissim per vegetiorem & frequentiore commotionem corporis resolutiones, apertiones & attenuations therapeuticae promoventur & facilitantur : porro incrassantur humores, quando illud simplicissimum adminiculum subtrahitur, per quod succi diluuntur & attenuantur, videlicet quando *sufficiens humectatio* denegatur, unde *parcus potus & solidorum copiosa* aut *sufficiens ingestio sanguinis & connexorum reliquorum succorum spissitudinem & crassitiem* conciliat, sicut contra *simplicissimus & naturæ* maxime conveniens ille est modus, quo succorum *crassities* emendatur, quando *interne* corpus *sufficiente humectatur & fluida* majori copia, quam *solida* ingeruntur : porro *incrassantur* humores, quando frequens *refrigeratio* corpori inducitur : *frigus* enim *gelatinam* in tantum *inspissat*, quoniam motus *caloris* *gelatinosas* moleculas *distrahit* ne conglutinentur & spissitudinem induant: *frigus* contra vel *condensantem* efficaciam *activam* habet, vel *privative* ad *incrassationem* humorum concurrit, dum sub eodem *gelatinosæ & mucilaginosæ* moleculæ *coalescunt*, reliquas etiam *tenuiores* particulas una in idem *coagulum & spissamentum* transferunt : hinc homines multum *in frigore* degentes sanguinis *spissitudinem* nanciscuntur : huc etiam contribuunt *balnea positive frigida*, quæ suspectam sanguinis *crassitiem* causantur : quid quod si homines *intrinsecus* frequenter valde *frigida* ingerunt, eo ipso etiam ab intra ad *inspissationes* humorum disponuntur : de reliquis *Refrigerantibus* remediis *alibi* dicendum erit: *alius* modus *incrassandi* est, quando paulo *majori* quantitate *acida* remedia assumuntur ; hæc enim *mucilaginem & gelatinosam* lympham tam in *partibus*, quam in *rota Massa sanguinea* coagulant ; quæ vero *ratio* sit *cur acida* tales humores *inspissent*, nondum *solide & perspicue* in *physica* demonstratum est ; unde rectius *res & phenomena* con-

fide.



fiderari & annotari debent, prout sunt & actu occurrunt, neque nos huic liti impræsentiarum iminiscere volumus, *quomodo* *salia acida* humores *gelatinosos* *ligent* *figantque*, an particularum *figuræ* huc quicquam conferant, (quod demonstratu *difficillimum* erit) an *aliæ* causæ & rationes consent: nos quidem deprehendimus, quod in tali ætiologia *physica* multæ *suppositiones*, *imaginationes*, *fictiones*, *petitiones* *principii* & *progressiones* in circulum occurrant, unde consultius ab hisce *incertitudinibus*, fallacibus subtilitatibus & otiosis meditationibus abstinemus: interim ex *experimentis chymicis* & *observationibus* relationum, quæ inter materias occurrunt, patet, quod *acida*, imprimis quæ de *sulphureo-vitriolica* prosapia sunt, *mucilaginem* limosam aut terras limoso-calcareas sive simplices sive humectatas in *densiorem* combinationem, congregationem & *incrassationem* transferant: iterum *alius* modus *incrassandi* est, quando intra *fluidas* partes *major* copia *terrestrium* & *mucidarum* substantiarum, quæ *tenuiores* materias *obviscant*, involvunt, connectunt, sanguinem *graviorem*, *crassiorem*, *grossiorem* & *ponderosorem* reddunt; unde *mensura una* sanguinis *melancholici* longe *ponderosior* est, quam sanguinis *choleric*: etenim non modo hæc *terrea* & *mucida* subjecta consistentiam sanguinis *impastant* & *incrassant*, sed & eo ipso *impediunt*, quo minus *vegetè* & efficaciter sanguis *circulari* & per partes *porosas* atque *cribrosas* *sufficienter*, satis *frequenter* atque *valide* transprimi queat, ut proinde etiam propter hanc rationem humoribus major *spissitudo* accedat: unde attenti practici probe norunt, quid *frequens* & *copiosus* usus *absorbentium* in subjectis *melancholicis*, in affectu *hypochondriaco*, *catarrho tenaci*, *febre intermittente*, *obstructionibus alvi* & *viscerum* efficiat: ubi experientia sufficienter illius *iniquitatem* attestabitur: utut vero humorum *crasities libero* *progressui* & *motui*, nec non *connexis* aliis functionibus non parum interdum, imo ut plurimum *præ-*  
G
judi-



*judicat*, tamen aliquando in medicina practica *tales casus* occurrunt, ubi *moderata* incrassatio & *necessaria* & *utilis* existit : placet inter *varios* alios casus tantum hoc loco exempli gratia producere & allegare illam circumstantiam, quando intra pulmones *subtilis* materia *serosa salino-sulphurea* sequestrata fuit, quæ teneram & *sensibilem* texturam pulmonum valde affligit atque stimulat, ut propterea pertinax & *impetuenta* *tussis* superveniat: quoniam vero *tenuis* hæc materia propter hanc suam *subtilitatem* *crasso* tali modo exturbari non potest, propterea *moderata incrassatio* hanc difficultatem lenit & corrigit: quod etiam valet in *illo casu*, ubi nimis *subtilis*, pauca & *corrosiva bilis* in intestino duodeno hæret & huic una cum vicinis partibus noxam minatur.

## §. XVII.

Famigerati, *simplicis* & ut plurimum *securi* usus & effectus sunt in medicina Practica remedia EMOLLIENTIA, quorum operandi modum etiam brevibus observare & annotare volumus, quæ in *veterum* medicina valde usitata fuerunt: quemadmodum vero *Emollitionis* notio valde *simplex* & *perspicua* est, ita etiam *effectus emollitionis* non *difficilis* existit: quod ipsam enim *emollitionem* attinet, tunc illa imprimis cum partibus *solidis* commercium habet, quæ si *indurantur*, *condensantur*, fortius *constringuntur* & propterea in necessaria sua *flexilitate*, *mollitie*, *mobilitate* & *permeabilitate* læduntur, tunc tali *relaxatione*, *lenitione* & *emollitione* indigent, ne damna quædam confestim ingruant, quæ *liberum* *progressus* sanguinis & *se* atque *excretoriæ* functionis successum, proinde etiam totam œconomiam *vitam* graviter offendunt: ast quoniam hæc condensatio & *constrictio* *viarum* non nisi *motu tonico* administratur, hic etiam partes *fibrosas* afficit, ita contingit, ut, si ejusmodi partibus fibrosis *emollientia* remedia applicantur, talis *laxitas* & *lubricitas* cum remediis illis hisce partibus inducatur, quo posthac motus *constrictorius* in *relaxatam* talem par-



partem nullam efficaciam habeat, adeoque frustra urgeatur, æque ac in chordam flaccidam & *laxam* nulla *solida* & firma *strictura* transferri potest: propterea tamen cum Emollientium remediorum *usu*, licet eadem *simplicem* effectum habeant, *prudenter* procedendum, ne *salutaribus* naturæ motibus *contrario* quodam effectui atque ausu *resistamus*; sicut *methodicæ* Sectæ fundamenta & principia haud multum *ingenua*, probata & *secura* sunt; neque curationes per *contrarias* facultates *consaltæ* semper & *utiles* existunt; hinc tam in *generica* emollientium ordinatione, quam in *gradu* Emollitionis *servando* *modestia* opus est, quoniam median- te congruo *tonici* motus *augmento*, satis sæpe *salutares* effectus obtinentur, quos relaxantia & *Emollientia* remedia, *inconvenienter* ordinata, graviter *turbabunt*; sed cum in talibus *practicis* & scitu admodum dignis aliàs animadversionibus hoc loco atque ordine diutius hærere non placeat, licet in *precedentibus* ad *Emollientium* modum operandi agnoscendum & explicandum viam præparaverimus, ita nunc ipsum *modum* succinctè indicabimus: *Emollientia* itaque remedia sunt *mucilaginosæ*, *oleosæ*, *pinguia*, quorum principia sunt *mobilia*, *molliæ* & *lenia*, quæ *intrinsecus* assumpta *superficiem* viarum *demulcent*, *elubricant*, *leniunt* levantque, ut per ejusmodi superficiem aliæ materiæ citius *transfluant*, neque eidem diutius *adhærescant*: proinde talia remedia partes reddunt *flexiles*, *mobiles*, *lubricas*, *molles*, dum fibrillis *pingues* aut *tenues* *mucidæ* substantiæ se insinuant, pristinam *stricturam* relaxant, ipsas fibrillas *turges faciunt*, adeoque motum constrictionis *minuunt*, sed eo ipso tantum efficiunt, ne materiæ *vellicantes* has partes *offendant*, neve *dolores* singulares easdem vexent, quippe qui sæpius ab hoc *tonici* motus *augmento* dependent: deinde etiam hæc *Emollientia* remedia *interne* materias *crassas*, *crudas*, *spissas* & *siccas* *deliniunt* & *demulcent*, quo facilius è loco *pristino* moveri & denique *penitus eliminari* possint, testimonio *tena-*



cioris muci in *pulmonibus*, *scybalorum induratorum*, *calculi renibus* & *ureteribus* infixi, *muciditatis tenacioris* vias *urinarias* deobstruentis, in quibus casibus *emollientia* usurpata, tam vias, quam materias leniunt, eo-que ipso *promotionem* & *emotionem* urgentis offendi- culi adjuvant: ex eadem consideratione fluit ratio, cur *Emollientia* remedia *dolores mitigent*: etenim *dolores* proveniunt à nimia partium *sensibilium* tensione, *constrictione*, *extensione*, distensione & compressione, nec non à mate- riarum *acrium* salinarum offensione & *vellicatione*, qua par- tes *sensiles* affligunt: quoniam itaque *Emollientia* remedia partim has *acres* materias *involvunt*, demulcent, *leniunt* & obtundunt, nec non partes *continentes* elubricant, *obliniunt*, levigant & cum *pinguedine* atque mucilagine obducunt, par- tim affectas partes *tensas* & compressas *relaxant*, eo propter, *sensus* & seorsim quidem *dolor* obtunditur & *hebetatur*: ubi- cunq; etiam alias quicquam certis partibus *firmius* adhære- scit & suspectam *duritiem* atque *siccitatem* inducit, ibi *Emolli- entia* multam *utilitatem* afferunt; hinc ad *crustas* separandas, ad *verrucosas* concretiones relaxandas & *indurationes* re- molliendas & leniendas conducunt: eadem efficacia & o- perandi modo conferunt in *ariduris*, *contracturis*, *scirrhis* exsanguibus & in quocunque alio affectu immoderata, in- congrua atque contumaces *spasmodicæ* commotiones affli- gunt: & quo facilius *internè* hæc *Emollientia* operentur, i- ta præstat illa *sufficienti* quidem, ast non *prodiga* quantitate exhibere, quo inmediate *massa sanguinea* ad loca afflicta suf- ficienti quantitate transferantur, ubi fibrillas *constrictas* partim *relaxant*, partim ita placide *leniunt*, ut prægressæ *spasmodicæ* constrictiones remittant; quemadmodum re- media, quæ cum *leniente* effectû *sensum* placide afficiunt, tantum etiam contribuunt, quo *natura* cum *activo* suo con- cursu atque *directorio* pristinas suas *contractiones* minuat, ut ita non æque semper necesse sit, quo fibrillæ eo usque rela- xen-



xentur, flaccidæ & molles reddantur, ut absoluta *atonia* in iisdem occurrat, aut ut natura intra illas *tonum necessarium* transferre nequeat: quoniam sensus *placidæ*, acceptæ & moderatæ *lenitionis* eousque naturâ allicit & promovet, quo eadem per *activum* concursum *tonicum* motum *temperet* & remittat, evidenti & simplici *frictionum* documento: eadem ratione, eodemque modo *Emollitio topica* succedit, quando ab extra applicata *oleosa*, pinguis, fluida mucilaginosâ, lenientia non modo ad sensationem *gratæ lenitionis* sive lenitatis conciliandam contribuunt, ut propterea natura præsentis *intensiores stricturas* imminuat & ob magis *placidam* sensationem à *pristina* extraordinaria & *insolita* commotione desistat, sed & quo materiæ illæ emollientes, partes *rigide constrictas* attingant, intrent & relaxent, hinc *indurationes* eo usque alterant, ut *mollitiem* assumant; imo hinc evenit, ut post emendationem hujus suspectæ *constrictionis*, præsentis *infarctus* & stagnationis *resolutio* & *discussio* facilius impetrari possit: hinc denique *Emollientia* per diversos *gradus* applicata in *inflammationibus* superficialibus adhibita, modo hujus *discussionem* adjuvant, modo *maturationem* faciunt, quando videlicet ad præsentem *stasin* sufficientem *aditum* humoribus conciliant, quod brevibus jam de *Maturantibus* adicere placet.

### §. XVIII.

Emollientium succincta explicatio viam nobis monstravit ad MATURANTIUM operandi modum exponendum: & licet *Maturantia* sive *Suppurantia* non alia ut plurimum quam *emollientia* sint, nisi in hoc negotio *Attrahentia* *specialem* effectum habeant, tamen quoniam *Suppurationis* processus & successus *specialis* conditionis est, propterea placuit illius hoc loco *peculiarem* mentionem facere: dicuntur itaque *Maturantia*, quæ *secundarium* inflammationis effectum, nimirum suppurationem, sive conversionem



*sanguinis præcipue subsistentis in pus*, promovent, ne *putrida* quædam corruptio consequatur : *modus* vero hujus transmutationis est, quando *sanguis* à tergo & undiquaque ad præsentem stasim directus atque *affluens*, principia *inflammabilia* sive sulphurea, præ aliis maxime *mobilia* & ad *putredinem* inducendam valde habilia, à præsentem *stasi* auferit & ita *fomitentem putrefactionis* subducit, ut *muçida* quædam portio, *pus* præcipuè constituens, remaneat, quæ *conversio* sanguinis subsistentis in pus, quia *corruptioni* directe *opposita* est, nulla *ratione* nulloque *fundamento* corruptionibus accenseri potest, id quod constanter & passim satis differte *Excell. D. D. Stablius* inculcavit & monstravit, de qua consideratione præcipue concilianda est *Præfatio* schediatis de *Mechanismo motus progressivi sanguinis*: hæc ipsa *separatio* hujus principii *sulphurei* à *stasi* sanguinis non melius aut certius obtinetur, nisi sanguis sufficienter *affluere* & *stasis contingere* possit, quo imprimis pertinet *justa* & *sufficiens* partium affectarum *amplitudo*, *capacitas* & *permeabilitas*: hanc necessariam *aperturam* non parum *offendit* & *turbat nimius* inflammatorii motus gradus, quo mediante vel *affecta* pars cum sanguine magis *oppletur*, vel plus, quam proficit, cum *congestoriis* commotionibus adigitur & urgetur, ut propterea sub tali *nimio inflammationis* augmento, neque *discussio* neque *suppuratio* staseos procedat, sed interdum *stasis* præsens magis *confirmetur*, augeatur, quin per consequentem *accidentalem* effectum *sphacelatio* invitetur & *acceleretur*, cujus phænomeni *Gangræna* aliquando luculentum testimonium perhibet: ne itaque hæ *congestoriæ* commotiones, *ultra modum* atque *modulum* inflammationem prosequantur & quo sanguini *affluenti* *justus aditus* concilietur, ea propter *ab extra* ad affectum locum adhibita *lenientia*, *mucilaginosæ*, *pinguiæ*, *emollientiæ* hunc *Suppurationis* effectum promovent & faciilitant: haud enim ulla dantur re-



media, quæ *per se* sanguinem in pus convertere possunt, sed cum totus *inflammationis processus* in legitimo suo ordine atque decursu actum *extraordinarie vitalem* constituat, quo mediante *corruptio*, quæ imminet, à corpore *avertitur*, propterea etiam hæc *Suppuratio* in *formali* sua ratione *naturæ* adsignandus est, neque ex ulla alia quadam causa, tanto minus vero ex *necessitate* quadam *physica* aut *mechanica* ortum trahit: remedia vero quæ *Maturantia* dicuntur, non nisi ad *impedimentorum* remotionem inserviunt, quo dehinc eo *facilius natura Suppurationis* actum administrare queat: unde hæc *topica* remedia *Maturationis* processum indicato nunc modo facilitant; sicuti medicamenta *intrinsecus* exhibita minime eadem ratione, *efficacia* & *promptitudine Suppurationem* promovent; neque denique *ille modus* operandi oblivioni tradendus est, quod *Maturantia* & quidem *emollientia* remedia, ad *affectedam* partem applicata, interdum *poros obliniant* & exspirans *serum* subtile coerceant, quod in loco affecto partim subsistentis sanguinis *resolutionem*, partim *sulphureæ* portionis *separationem* & divulsionem à reliquo sanguine adjuvat; dantur vero etiam *Maturantia*, quæ *per poros* simili fiendi modo *subtile* vel *volatile* principium salinum communicant, quibuscum in præsentē *stasi* deinde *sulphureum* illud principium sequestratur & pus inde coquitur & hisce subtilibus salinis principiis utitur natura, tanquam materiali *instrumento*, cum quo reliquam operationem perficit; sicut itaque *prioris* indolis *Maturantia* auxilia fuerunt *emollientia*, quin simplicia fomenta calida, ita ad hæc *posteriora* *Maturantia* referri merentur *cepæ*, *resinæ*: denique etiam *Suppurationem* promovent *Attrahentia* remedia, de quibus in hoc specimine brevibus adhuc quoad illorum operandi modum succinctam mentionem facere lubet.

## §. XIX.

Devolvimur itaq; adhuc circa finem præsentis Speciminis ad  
AT-



ATTRAHENTIUM remediorum operandi modum explicandum: dum vero in alio quodam specimine ad præsentem considerationem via præparata est, quando videlicet de *vesicantibus & rubefacientibus* in præcedentibus actum fuit, hinc *specialiorem*, brevem tamen *Attrahentium* explicationem subjungemus: neque quidem placet *diffusorem* rationem reddere, cur hæc remedia *Alterantium* numero adscribamus, dum ipse illorum effectus testatur, quam efficaciter eadem ad *motuum alterationem* provocandam conferant: neque etiam subinde ille *crassus* conceptus est formandus, quasi *Attrahentia* medicamenta *active* ab *intra* & ex *intimis* *protrahant* humores: multo minus illa *physica* fictio locum inveniet, quasi hæc remedia ab *illo loco*, cui applicata sunt, *aërem* fugent & dispellant, quod *vacuum* deinde *aër* cum humoribus mixtus ab *intra* *supplere* fingitur, pingitur, creditur & supponitur: misis hisce traditionibus, quæ nullo modo *solide* ad corpus *vivum* applicari possunt, notamus, quod remediorum *Attrahentium* applicationem, major humorum *affluxus* & congestio sequatur: hæc *affusio* vero humorum ad talem *circumscriptam* regionem pertingere haud posset, ni *ab intra* per proportionatos motus & quidem *congestorios* dirigeretur: hæc *particulares* humorum *restrictiones* habent etiam suas *singulares* causas; quando itaque *natura* in aliqua parte *molestum* aut *adversum* aut *noxium* quiddam offertur, tunc pro *aptitudine* partium illud obiectum nunc citius, nunc tardius removet, *abigit* & expellit, aut si hæc *remotio* succedere non potest, ad *eundem locum* ab *intra* humores copiosius advehit & congerit, quibuscum vel *noxium* illius obiecti effectum infringere & hebetare, vel *molestum* minuire & temperare contendit: nunc vero de *Attrahentibus* remediis sciendum est, quod vel *acria salina, sulphurea, resinosa* sint, vel *tenacia*, quæ utraque *sensui*, ad *vitale* negotium necessario, *adversa* & inimica existunt, id quod tanto magis de *acribus* valet: reliqua vero *tenacia*, spissa, resinosa, picea, dum adeo *firmiter* cuti *impacta* sunt, omnino *molestiam* creant, ut propterea ad *eundem* locum sanguis copiosius *congeratur*, cujus congestionis non alius *scopus* est, ac *natura* alias per ejusmodi congestorias commotiones alieni obiecti *promotionem* in *alia loca*, aut *emotionem* à *toto corpore* urget: quo præcipue illa *personalis sensibilitas* referenda est, dum quidam homines facile *in cute* offendi possunt, sic haben eine zärtliche Haut, ut vix quicquam *superficiem* corporis contingere debeat, quin mox eo *copiosior* humorum affluxus transeat: & hac etiam ratione *Attrahentia* remedia *inflammationem* provocare, vel si *motus* inflammatorius ad inducendam *suppurationem* insufficiens fuerit, eundem eo usque excitare possunt, quo *maturationis* effectus consequatur: Plura hac vice in hoc Specimine addere non placet, quare filum abrumpimus, ne limites transgrediamur: Deo denique humillimas gratias reddimus, quod benedictione sua ad præsentis dissertationis commendationem nobis adistere voluerit, quem etiam devotissima mente rogamus, quo hanc tractationem eo usque *secundet*, ut ipsius gloriam & medicæ veritatis ulteriorem confirmationem adjuvet atque promoveat.